

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CONFESSIO
&
INSTRVCTIO
IDIOTÆ.
SIVE
MODVS EXCIPIENDI

CONFESSIONES SACRAMENTALES Rusticorum, Puerorum, in peccatis inueteratorum; ac ignorantium profectum in vita Christiana.

A R. Patre GREGORIO TERETIO, *Ordinis FF. Eremit.* S. PAVLI Primi Eremitæ *in Polonia Professo.*

EDITIO SECVNDA,

Adiectæ sunt sententiæ à Sede Apostolica Condemnatæ & Bulla Cænæ Domini.

Per Fr. AMBROSIVM NIESZPORKOWITZ, Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ S. T. D.

SUPERIORUM PERMISSU.

Anno Domini 1686.

CRACOVIÆ,

Ex Officina FRANCISCI CEZARY, S.R.M. Illustr: ac Reuerendiss. Dñi Episcopi Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc. Typ.



Conticuit populus meus, eò quod non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti: repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. *Oſeæ 4.*

Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirent ex ore eius. *Malach. 2.*

Facite dignos fructus pœnitentiæ. *Luc. 3.*



Admodùm Reuerendo, in Christo Patri,

F. RAPHAELI MICHALSKI,

S. T. D. Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ, per vtrãq; Poloniã Pomeraniam, & Silesiam, Fratrum Ordinis eiusdem

PRIORI PROVINCIALI,

Cæterisque

Admodùm Reuerendis, Reueren: Venerabilibus,

Ordinis eiusdem Prouinciarum Poloniæ, Pomeraniæ, & Silesiæ

DILECTIS IN CHRISTO,

Patribus & Fratribus.

Fr. AMBROSIVS NIESZPORKOWITZ, S. Th: D. eiusdem Instituti.

Vtramque Vitam & Felicitatem.

INstructionem Idiotæ, Opus planè singulare, quamuis non à meo profectum genio, meo tamen opportunè subseruiens desiderio, Tibi af-

 fero,

fero, & offero Admodùm R. P. PROVINCIALIS, *cæterique* Admodùm Reuerendi Reuerendi, *Venerabiles in Christo dilecti Patres ac Fratres, dignum sanè erga Vos grati animi argumentum. Iam pridem complurium Illustrium Virorum ex vtraque Sæcularium ac Regularium Republica illud recusum videre exoptabant, quòd probè nossent quanto legentium, & maximè animarum saluti seruientium commodo in lucem prodire posset, cùm solidam Christianæ perfectionis doctrinam, & rudis, scrupulosæ, dubiæ, intricatæ, ac in praua vitiorum Consuetudine inueteratæ conscientiæ medicinam, atque ad facilem perfectionis ineundam viam me-*

thodum

thodum demonſtret. Seruiendum itaque fuit, & externorum deſiderijs, & domeſticorum obſequijs, qui in pleriſque & principalioribus Conuentibus cùm animarum ſaluti ſeruiunt, tanquam percommodum ſuæ inſtructioni Subditorumque inſtitutioni inſtrumentum, vtpotè mei erga ſe propenſioris affectus, teſtimonium; gratitudinis, pro experta ſæpius in hoc Sacro Ordine Fraterna beneuolentia, tributum, & mutuæ Charitatis arrham non dedignabuntur. Cumprimis tamen ad hoc Tibi dedicandum Opuſculum, meum prouocabat, vrgebatque debiti affectûs obſequium, Tua Paterna beneuolentia Admodùm Reueren-

dePa-

de Pater PROVINCIALIS, *vt omnium votis, ad tuum honorem velificando, hoc munere Te in hoc Anni nascentis exordio honorarem, quo pateret quantum intereſſet Prouinciæ Noſtræ, Tibi quoquomodo gratificari labores, & ſudores Scholaſticos, quos in Philoſophicis ac Theologicis Diſciplinis, inſtituendæque in Virtutibus & ſcientijs Religioſæ Iuuentutis, ſpectauimus, ne ingrati videremur, qui altioribus in Ordine Noſtro functionibus admotum merita prudenter æſtimamus. Vicem omnium gero, & quod Tibi munus literarium dedico, alijs eandem gratitudinis obligationem*

ingero, vt dum Tibi ſibiquè dedicatum legerint, tum ad gratitudinem erga Te, tum ad animarum lucra animum adijciant, nouerintque ſicut me non mihi natum, ſed omnibus ad obſequium, ita communis inde boni promouendi capiant exemplum. Hoc vnicè labore ſuo deſiderabat promoueri Noſter Gregorius Teretius, Vir Aſcetici Spiritus, hanc Inſtructionem edens in publicum communi bono opus ſuum ſubſeruire voluit, magnum ad implantandam, tum in rudiorum, tum in ſapientiorum animis Sanctorum ſcientiam, momentum, quod vt ad merita, & emolumenta

Spiri-

Spiritualia Vobis Admodùm Reuerendis Reuerendis *ac* Venerabilibus Patribus *ac* Fratribus, *profectusque maiores in ſpiritu ſeruiat animitus exopto.* Datum in Claro Monte Częſtochouienſi. Die 29. Decembris Anno Domini 1686.

Præ-



Præfatio ad Lectorem.

FRequens & acris fit querela quorundam Confessariorum, eorum præsertim, quibus iuxta regulas Theologicas Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum exactè perficere est cordi; contra rusticos aliosq; idiotas, qui accedentes ad Sacras Confessiones, ob suam crassitiem ingenij & hebetudinem intellectûs, aut etiam suam socordiam, minùs se capaces exhibent ad absolutionem Sacramentalẽ obtinendam: adeò, vt ij Confessarij audacter asseuerent, malle se decem literatorum, quàm vnius stupidi villani confessionem excipere. Et quidem illorum querela ex parte non videtur improbanda; siquidem Officij sui partes cum istiusmodi hominibus, nequaquam commodè possunt exercere: Non officium Doctoris; quia illa subiecta ob sui stoliditatem, instructionis sunt incapacia: non Iudicis, aut Medici; nullam quippè ad iudicandum, vel medendum materiam exhibent: non denique benigni Patris Spiritualis; siquidem suâ insulsâ stupiditate, & importunitate ad iracundiam porrigunt incitamenta. Verùm altera ex parte, si quis miserabilem satis conditionem horum animaduerterit, potiùs ipsorum spirituali penuriæ ac indigentiæ compatiendum, quàm de illis conquerendum, uel ipsis irascendum, facilè censebit: nam rudes inter rudes nati, ferè inter

iumenta

iumenta educati, ex natura vt plurimùm ingenio obtusi; forte à nullo vt par est in salutis necessarijs instructi, ferè assiduis laboribus distenti ac distracti; quid mirum si tantùm imperiti, ignaui, ac inanes rerum spiritualium appareant?

Refertur non multis abhinc annis (*Fillucius Tom. 2. tract. 22 cap. 2. num. 46*) in agro Romano repertum esse rusticum, qui Solem adorabat, & nihil audiebat de fide, sed pascendis gregibus ouium & armentorum continuam operam dederat: Si ergo in partibus illis, vbi à tot sæculis Scientiâ Domini plena est illa terra, tam miserabilis persona inuenta est, & succensebimus tot imperitos, rerum ad salutem animæ pertinentium, apud nos reperiri, in villis præsertim vbi illi miseri ob crassitiem ingenij, ob continuos labores, ob inopiam instructorum vix aliquid de DEO audire vel percipere possunt. Consideret Confessarius, si in eodem statu in quo hi degunt positus esset, destitutus donis naturæ & fortunæ, alijsque ad instructionem animæ necessarijs, quantum optaret secum benignè & clementer, præsertim vbi agitur de æternæ salutis bono, agi & tractari.

Et ideò optimè quadrare possunt Confessarijs respectu istiusmodi status hominum illa verba Apostoli: *Vos qui Spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.* Hos ego existimo magis idoneos ad spiritualia DEI dona percipienda illis, qui scientiâ inflati, voluptatibus diffluentes, diuitijs aut vanis honoribus

turgidi,

turgidi, in cura suæ salutis videntur sibi multùm sapere: Diuinæ quippè Sapientiæ cum simplicibus sermocinatio promptius instauratur, & corda ipsorum faciliùs, vtpotè à grauioribus vitijs liberiora ad pietatis studium afficiuntur. Christus Dominus, ad nostram instructionem, cum rudibus Apostolis familiariter supra tres annos conuersatus, ipsos patienter, affabiliter, dilucidè mysteria Regni cælestis edocebat; addens illa suauissima verba: *Intellexistis hæc omnia:* libentiùs & frequentiùs vicos & castella quàm vrbes visitabat; turbis quoque rudibus etiam importunis ac se prementibus, quâ corporali, quâ spirituali refectione sese beneficentissimum exhibebat: idem & eius amicis (vt in Historijs Ecclesiasticis videre licet) in sancta patientia & salutari doctrina factitare in vsu fuit, vt nobis etiam non sit molestum tantis exemplis animas istorum; à fæce illa terrea, inscitia rerum Diuinarum, & sordibus peccatorum vindicare; & spirituali ipsorum bono pro viribus prospicere. Anima quippè etiam vilissimi rustici, iuxta sanam Philosophiam, in sua essentia tam est perfecta, quàm Aristotelis, aut ipsius Magni Alexandri, aliúsuè excultissimi & nobilissimi Principis, aut aliquorum Procerum, æquè ac illorum pretioso lytro sanguinis Filij Dei redempta, & in altiore fortè gradu cælestis gloriæ constituenda.

Quapropter vt suauiùs hoc sacrũ negotium circa salutem harum miserabilium personarum à Confessarijs peragatur; operæ pretium duxi,

aliquot insinuare modos, quibus & Pœnitentiariorum molestia alleuietur, & pœnitentium confusio in Sacris ipsorum Confessionibus arceatur: Et quia pueri pares etiam sunt in rerum spiritualium ignorantia rudibus, inueterati quoquè malorum, non animaduertunt grauitatem peccati mortalis, pretium inæstimabile Diuinæ gratiæ, & pericula suæ æternæ damnationis: insuper propter suum in peccatis obduratum cor, ad percipiendam absolutionem Sacramentalem, magis fortassè ineptiores, quàm illi propter suam ignorantiã; idcircò etiam pro istorũ medela, media quæ potui oportuniora ex approbatis Auctoribus in hunc libellum, breuiter collegi. Et quia non satis est viam perditionis relinquere, nisi etiam via salutis confestim & seriò ineatur, & continuetur; pro omnibus pœnitentibus, modum de profectu in vita Christiana peragenda superaddendum censui: vt omnes dignos pœnitentiæ fructus facientes, de virtute in virtutem procedant, donec ab ipsis videatur Deus Deorum in Syon cælesti. His beneuole Lector, si tibi alia desunt, tanquam primis principijs vtere, quæ in ampliores processus per frequentiorem praxim, & lectionem aliorum Auctorum, in Maiorem DEI Optimi Laudem & proximorum salutem in te, & per te, in alijs feliciter excrescant.

FA-

FACVLTAS.

Admodùm Reuerendi Patris Fratris,


TOBIÆ CZECHOWICZ, S. Th. D.

Fratrum Eremitarum S. PAVLI Primi Eremitæ per vtramq; Poloniam & Silesiam Prioris Prouincialis, ad præsentis opusculi Reimpressionem.

CVm plurimorum è Sæculari ac Regulari Clero intercesserint desideria, vt Liber sub Titulo INSTRVCTIO IDIOTæ &c. R. P. GREGORII TERETII Ordinis Nostri, olim in Prouincia Nostra Viri Doctrinis Asceticis celeberrimi, antehac approbatus, iteratò lucem publicā communi laborantium in Vinea Christi bono, aspiceret; authoritate mihi facta à Reuerendissimo Patre Nostro Fratre GEORGIO BEBERI, Ordinis Nostri Priore Generali Recusionis, seu Reimpressionis eiusdem curas, cum additionibus condemnatarum ab Ecclesia Sententiarum, Patri Fratri AMBROSIO NIESZPORKOWITZ, Ordinis Nostri Sacræ Th: Doctori committo. In quorum fidem præsentes dedi manu propria subscriptas, & officij Sigillo munitas, in Nostro Conuentu Clari Montis Częstochouiensis Anno Domini 1686. Die 7. Martij.

(L. ✠ S.)


Fr. TOBIAS CZECHOWICZ,
Idem qui supra mpp.



APPROBATIO.

L*ibrum Cui titulus* Confessio & Instructio *IDIOTÆ Anno Domini 1655. cum approbatione in lucem publicam editum, omni prorsus contra fidem, & bonos mores, erroris suspicione carentem; imò Cunctis Pœnitentiariys, tam Sæcularibus, quàm Regularibus in Vinea Christi laborantibus summopere necessarium, cum additionibus Propositionum ab Ecclesia damnatarum, & Bulla Cœnæ Domini, iterum reimprimi facultatem concedo.* Datum Crac: in Collegio Maiori die 12. Decembris Anno Domini 1686.

M. FRANCISCVS PRZEWOSKI,
S. Th. D. Decanus S. ANNÆ,
Ordinarius Librorum Censor mpp.



MO-

MODVS EXCIPIENDI SACRAS CONFESSIONES
Rusticorum, Puerorum, in peccatis inueteratorum; & ignorantium profe-ctum vitæ Christianæ.

CAPVT I.
De Confesſione rudium.
§. 1.
De iuuandis rudibus circa myſteria fidei.
QVÆRES I.
An teneantur rudes ſub peccato mortali ſcire myſteria in Symbolo Apoſtolorum contenta?

RESpondeo, cum communi ſententia Doctorum affirmatiuè: tenentur enim illa credere, igitur debent & ſcire, ſaltem rudi aliqua pro ſuo captu cognitione; nam quid credent, ſi nihil ex iis intellectu percipient? actum enim credendi præcedit actus ſciendi. Vnde Fillucius Tom. 2. cap. 2. n. 4. eandem rationem obligationis, aſſerit in credendo explicitè articulos fidei & ſciendo, ideòq; eo modo quo fides aliquorum articulorum dicitur neceſſaria explicitè, debet etiam dici eorundem ſcientia explicitè neceſſaria, quamuis non ita diſtincta, ſicut à doctioribus ſolet haberi.

Deinde quia illa mysteria fidei, sunt initium, radix, & fundamentum salutis; non simpliciter omnibus, sed illis tantùm, qui illa intellectu pro suo posse apprehendunt, ac firmiter illis propter authoritatem DEI reuelantis assentiuntur; tandem quia hoc Symbolum (vt D. Aug. ser. 181. de tempore, & Leo ser. 11. de Pass.) Apostoli ideo composuerunt; vt statuerent, quæ essent à fidelibus credenda; & propterea hæc in Ecclesia publicè circumferuntur, & omnibus proponuntur, quasi explicitè scienda & credenda.

QVÆRES II.

Quæ sunt præcipuè mysteria fidei, à rudibus explicitè credenda?

ANtequàm huic quæsito respondeam, priùs exponendum est, quæ dicitur fides explicita, quæ implicita: Explicita fides illa vocatur, dum aliquis credit in particulari, & in seipso, illud quod ei ad credendum proponitur. *v.g.* Si quis credat CHRISTVM FILIVM DEI assumpsisse naturam humanam ex MARIA Virgine; dicitur habere fidem explicitam, de FILIO DEI incarnato, &c. Implicita est, dum quis credit non in particulari, vel in specificatione alicuius articuli expressa, sed in aliquo alio: ideò qui credit, quidquid credit S. Mater Ecclesia; vel quod ei proponitur à prædicatore Christiano, licet id non percipiat, dicitur habere fidem implicitam. *v.g.* de modo justificationis, de meri-

to, &c.

to, &c. Hoc ergo posito; respondeo ad propositum: hæc quatuor mysterii, fide explicitâ esse tenenda. Primum DEVM esse: secundum DEVM esse remuneratorem animæ æternæ beatitudinis, & punitorem malorum: Dicitur enim Hæbr. 11. *Sine fide est impossibile placere DEO: credere enim oportet accedentem ad DEVM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quoad primum, intellige non quomodocunq; credendum, quod sit; vt vocantur aliqui Dij, propter aliquam participationem excellentiæ DEI; sed quod sit Ens à se, & independens ab alio: Dominus infinitarum & innumerabilium excellentiarum, &c. quod indicant illa verba Symboli, *Creatorem cæli & terræ*; ipsum à nullo creatum. Quoad secundum, intellige; quòd non in hac vita mortali sit remunerator tantùm istis bonis temporalibus; sed magis in alia, bonis æternis, & quod anima sit corruptionis expers, imò capax æternæ beatitudinis. Ratio autem huius doctrinæ ista est; quia qui vult attingere finem, debet ipsum præcognoscere; cùm autem DEVS Opt. sit etiam rudissimorum hominum finis vltimus in cælesti gloria videndus, & in sua beatitudine participandus: ideò hîc ipsum per lumen fidei debent cognoscere, ipsum præ omnibus maximi æstimare, honorare, ipsi obedire, &c. Et quamuis quis possit DEVM lumine rationis cognoscere, vt potè primam omnium causam, primum Motorem, Ens Entium; non tamen illius potest eo modo, & tam certo, quo

fides oſtendit, cognitionem aſſequi; videlicet Creatorem omnium ex tempore, ex nihilo, illum eſſe neceſſario à ſe, & per ſe, ſine principio & ſine fine, glorioſum exiſtentem, ſcelera æternis ſupplicijs punientem, &c.

Et ideò ad hunc finem ſupernaturalem cognoſcendum, requiritur etiam lumen ſupernaturale, quod eſt fides. Hæc conſulto poſita eſſe velim propter rectificandum quorundam idiotarum intellectum, qui conceptus de DEO ſatis futiles ſibi confingunt, ipſius gratiam minùs curant, animam inſtar alicuius venti, aut vanæ imaginis apud ſe depingunt, magis ad præſentis, quàm futuræ vitæ bona propendent. Tertius articulus fidei explicitè ſciendus eſt, Myſterium SSS. TRINITATIS, de quo ipſe CHRISTVS Matth. vlt. *Docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, &c. Qui non crediderit, condemnabitur.* Quartum myſterium de FILIO DEI, non quidem quoad omnes articulos rudibus explicitè de eo credendos; ſed quoad principales, qui ſunt fundamenta ſalutis noſtræ; videlicet, quod ſit incarnatus, verus DEVS & homo, mortuus, reſurrexit pro ſalute generis humani, &c. De hac fide ſunt verba expreſſa CHRISTI apud S. Ioannem. *Sic dilexit DEVS mundum, &c. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum DEVM, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. His qui credunt in nomine eius, dedit eis poteſtatem, &c.*

Qui non credit in nomine FILII DEI, iam eſt iudicatus.

Mirum profectò (juſtè conqueritur Iacob. Marchan. in Candelabro Myſt. tract. 5. c. 2.) quanta paſſim in pagis ignorantia circa hæc, ita vt nihil diſtinctè vel explicitè nôrint iſtorum, eò quòd à Confeſſarijs non interrogentur de his. Nam regulares Confeſſarij dùm eos accedunt ruſtici, præſupponunt hæc edoceri à Paſtoribus: Paſtores cùm aliquoties hæc in Cathechiſmis dixerint, ſupponunt ſuos iſta non ignorare. Sed falſa eſt ſuppoſitio, quia frequentiſſimè quæ publicè in genere dicuntur, contingit non apprehendi à multis rudioribus in particulari. Vnde neceſſarium eſt tales ſigillatim interrogari, imò & repeti, ac eis morosè inculcari. Obſecratos igitur velim in Domino Confeſſarios ac Paſtores rudium, vt hîc diligentem operam nauent cum ſuauitate & patientia, & per experientiam reperient ſe non infructuosè laborare. Varijs in locis confeſſiones ruſticorum excepi, & eos interrogans de TRINITATE, pro reſponſo accepi, tres eſſe DEOS, vnam perſonam, vel vnum DEVM eſſe, ſed tria corpora. Item dùm interrogarem quæ perſona carnem aſſumpſerit? Reſpondebant ſatis ordinariè, eſſe Patrem. An Pater eſſet homo? an etiam Spiritus Sanctus eſſet homo? reſpondebant affirmatiuè. Et maximè errorem vniuerſalem pleriſq; in locis deprehendi, quod putarent vinum, quod aliquando datur communicantibus eſſe CHRISTI ſan-

guinem. Hæc verò difficulter doceri possunt, maximè senes, nisi à Confessarijs interrogentur, & erudiantur. Quod breuiter potest fieri, de his quæ sunt necessaria, necessitate medij, nam si ignorent fortè decem præcepta, aut Symbolum; sufficit quod firmiter proponant illa successu temporis se conaturos addiscère. Substantia autem præcipuorum articulorum debet eis hîc & nunc ante absolutionem proponi, vt fidem explicitam illorum concipiant; nempè IESVM CHRISTVM esse FILIVM DEI, & verum hominem, natum ex Virgine, pro redemptione nostra mortuum, postea resurrexisse, deinde ascendisse in cælum, deniq; venturum Iudicem.

QVÆRES III.

An præter articulos Symboli ad salutem alia necessaria rudes scire teneantur?

R*Espondeo.* Orationem Dominicam, salutationem Angelicam; Decalogi, & Ecclesiæ præcepta: Tenentur enim orare ne succumbant tentationi indeq; pereant; vt testentur suam subiectionem excellentiæ DEI, &c. Oratio enim est medium hominis rationi compotis ad salutem omninò necessarium, necessitate medij, scilicet ex præcepto Diuino naturali, quia necessaria est ad obtinendam à DEO gratiam SPIRITVS Sancti, quem CHRISTVS promisit dandum à PATRE cælesti petentibus se. Quare SS. Patres, nominatim Hieron. & Aug. aduersus

uersùs Pelagianos docent, tàm esse necessariam Orationem, quàm DEI gratiam & auxilium. Item debent mandata DEI seruare, si volunt ad vitam ingredi, tenentur certis diebus jeiunare, festis diebus Sacro interesse, decimas dare, &c. Igitur quâ obligatione hæc tenentur facere, eâdem etiam ista nôsse, cùm hæc sint omnia connexa. Insuper obligantur ad notitiam Sacramentorum quibus vtuntur, puta, Pœnitentiam, Eucharistiam, Matrimonium, & secundùm probabilem sententiam Bannez & quorundam, Confirmationis & Extremæ Vnctionis Sacramenta nôsse: aliàs nec humano nec Christiano more illa percipient.

QVÆRES IV.

Quomodo prædicta rudes teneantur scire?

D*ico* I. Non est opus scire illa ipsis, secundùm eam declarationem quæ habetur in Cathechismis, sed sufficit quoad substantiam, id est secundùm significationem generalem & simplicem vocum, quæ continentur in eo articulo. *v. g.* In articulo SSS. TRINITATIS, satis est si intelligant PATREM, & FILIVM, & SPIRITVM Sanctum vnum esse DEVM, & non plures Deos, & non est necesse vt quis percipiat processiones Diuinas, &c. Sic etiam ad incarnationis mysterium, sufficit CHRISTVM esse FILIVM DEI, verum DEVM, verum hominem, non est autem opus intelligere esse vnam personam & duplicem naturam. Item de Ec-

clesia Catholica; neminem posse saluari, extra hominum congregationem, quæ tenet fidem CHRISTI & religionem eius; sed tantùm eos posse vitam æternam consequi, qui intra eandem congregationem, CHRISTVM ritè colentium perseuerant.

2. *Dico.* Symbolum Apostolicum, præcepta Decalogi, &c. non obligantur vt illa sciant eo ordine, & verbis quibus proponuntur, sed satis percipere sensum & veritatem eorum, imò etiam sufficit, si interroganti sciant respondere. Esset tamen veniale graue non mandare memoriæ Symbolum Apostolicum ex negligentia; secus ex impotentia, vti DD.

Quod attinet Orationem Dominicam (Bress. lib. 5. cap. 8. num. 67.) docet, quod partim CHRISTI institutio, partim orandi necessitas, partim Ecclesiæ consuetudo vim legis adepta obtinuit, vt ea ab omnibus discenda sit memoriter, idq; sub mortali, quod de ea, vt etiam Decalogo affirmant Angelus & Tabiena, quos tamen explicat Azor, & Sanches de eorum substantia. Sed quamuis hæc explicatio rectè conueniat decalogo, cuius finis obtineri sic potest, scilicet eius obseruatio, modò sciatur quãdo obliget, & quæ peccata illi repugnent; minùs tamen orationi Dominicæ: quâ memoriter recitata DEVM quotidie orari conuenit. Imò verisimile est ob rationes indicatas, eum qui per longum tempus orare negligit peccare mortaliter vitio irreligiositatis. Verisimilius id diceretur

retur ſub veniali, de ſalutatione Angelica; quamuis reuera communi Eccleſiæ vſu, quo publicum ad eam ſignum datur. Catholicorum ſenſu & æſtimatione etiam grauiter videatur dedecere, adeòq; peccatum eſſe mortale neſcire illam memoriter, quia quotidie ſalutanda eſſet & oranda B. Virgo: præſertim vbi habitant permixti hæreticis Catholici, quorum preces eo quaſi ſigno diſcerni ſolent à precibus Hæreticorum. Quare etiam ob rationes indicatas de oratione Dominica, idem veriſimile videtur ſaltem ſub veniali, vnumquemq; teneri intra longius tempus ipſam ſalut. Angelicam recitare. *Hactenus Breſſerus.* Idem ſentiendum de ſigno Sanctæ Crucis, quamuis Sylueſter eius ignorantiam culpabilem mortaliter eſſe ſentiat.

3. *Dico.* Symbolum Apoſtolicum addiſcendum eſſe ea lingua quam quiſq; intelligit: Scire enim memoriter & non intelligere eſt neſcire, vt rectè Fillucius Tom. 2. tract. 22. q. 2. n. 37. De oratione Dominica, vt vulgari lingua ſciatur eſſe obligationem ſub veniali docet; de alijs precibus aliter ſentiendum eſſe, aſſerunt Authores requirentes ſaltem attentionem & intentionem illas dirigendi ad DEVM: nam ſi (inquiunt) verba magica, etſi non intelligantur à proferente, nihilominùs habent quandoq; ſuum effectum, multò magis verba Diuina ritè probata. Ad deuotionem tamen maiorem excitandam, & Spiritum refouendum conſultius eſt illis orationibus vti, quæ intelliguntur, de quo infra latiùs. Plu-

ius. Plures Authores his de rebus citantur à Dianna prima part. tract. 16. Miscel. 11. Resp. 14.

QVÆRES V.

An propter hebetudinem ingenij possit aliquis excusari ab explicita cognitione prædictorum?

RAtio dubietatis est; quia magna pars rusticorum etiam post instructionem dum ad confessionem accedunt, ipsos ignorant saltem explicitâ scientiâ, & vix pertinenter de illis respondent. Tàm facilè enim respondent tres esse Deos, & vnam personam, quàm contra, nec valent naturam aut personas distinguere, aut concipere, personasq; Diuinas, PATREM, & FILIVM, & SPIRITVM Sanctum, tanquam tres homines percipiunt, & tria corpora. De Patre si interroges eos, tibi respondebunt esse hominem, &c. & post multam inculcationem adhuc in his vel ignorant, vel errant.

Ad hoc quæsitum respondent præcipui Authores: non facilè esse excusandos in hac ignorantia omnes idiotas; plurimi enim sunt, qui sciunt aliquas cantilenas, norunt suos contractus, virtutes, ac vitia herbarum, animalium, callent multas astutias: quare nullus poterit excusari ab explicita fide illorum articulorum, qui sunt necessarij ad salutem necessitate medij Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est duplicem necessitatem respectu salutis animæ à Theologis assigna-

aſſignari; vnam medij ſeu finis, alteram præcepti: illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij, quod ſecundùm Dei ordinariam legem ita neceſſarium eſt, vt ſine illo ſalus obtineri non poſſit, etiamſi inculpabiliter omittatur, quo pacto baptiſmus re ipſa ſuſceptus, eſt neceſſarium medium ad ſalutem infantibus non baptiſatis, adultis, ſaltem in voto; quia ſine illo nullo modo ſaluari poſſunt, ſecundùm legem Dei ordinariam. Item adultis in peccato mortali exiſtentibus vera contritio, vel ſaltem ſupernaturalis, id eſt, reſpectu Dei aliquo habita, cum firmo propoſito & efficaci peccata vitandi attritio coniuncta cum Sacramento. Illud autem eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, quo culpabiliter omiſſo ſalus non obtinetur, eo verò inculpabiliter prætermiſſo poteſt obtineri, vt patet in jeiunio, auditione Miſſæ, ſumptione Euchariſtiæ pro Paſchate, &c. nam ex præcepto omnes tenentur jeiunare diebus aſſignatis, Miſſæ intereſſe, communicare pro Paſchate ſub peccato mortali, ſi tamen ob impotentiam vel aliquod juſtum impedimentum omittant, non peccant, & poſſunt ſaluari.

Hoc ergò poſito, cenſent omnes, hos articulos quòd Devs ſit, quòd ſit juſtus judex, perconſequens quod ſit anima immortalis, altera vita poſt mortem; debere à rudiſſimo quoque (dummodo ſit rationis compos,) neceſſariò neceſſitate medij, explicitè ſciri & credi, nec poſſe quenquam etiamſi inculpabiliter hæc igno-

ret saluari; *nam sine hac fide*, juxta Apostolum, *impossibile placere DEO, accedentem enim ad DEVM oportet credere quod sit, & quod sit remunerator*. Hæbr. 11.

Nam ex eo (vt Becanus Tom. 2. tract. 1. cap. 12.) quod homo creatus sit ad beatitudinem supernaturalem, & DEVS non velit illi dare sufficientia media ad illum finem consequendum, nisi suppositâ fide; necessario oritur obligatio in homine ad habendam fidem, sine qua hic finis haberi non potest.

De explicita fide SSS. TRINITATIS & Incarnationis, sunt aliqui & quidem graues Theologi à Dianna citati. Par. 3. tract. 5. Res. 46. & part. 5. tract: 13. Resp. 84. qui docent hos duos prædictos tantùm esse necessarios necessitate præcepti. Nam DEVS non plùs requirit ab hominibus, quàm illi possunt; sunt autem inter Christianos adeò rudes, vt huiusmodi mysteria non apprehendant, quod etiam euenit in surdis, simul & mutis; licet aliqui putent hos diuinitùs illustrari. Azor tamen ait Tom. 1. lib. 8. cap. 6. q. 6. quod rudis, qui non potest percipere mysterium SSS. TRINITATIS, satis est quod credat explicitè alios clariores, scilicet CHRISTVM FILIVM DEI, natum esse ex MARIA Virgine, passum, crucifixum, &c. Tannerus autem in 22. disp. 1. q. 7. d. 2. dicit, quod qui nullo pacto ea mysteria percipere potest, comparandus est in hac re fatuis & infantibus, quos præceptum non obligat, perconse-

quens

quens ad S. Euchariſtiam non admittendus; ſaluari tamen ille poteſt, vti legimus in hiſtoricis Eccl. de illo, qui nullam orationem potuit addiſcere, quàm iſtam. Miſerere tui DEVS. Et de alio, qui ſolùm hanc didicit, & ſæpiùs vſurpauit. Aue MARIA.

Pro hac autem difficultate apta eſt diſtinctio Sanchez in opere moral. lib. 2. c. 2. n. 9. quæ diſtinguit inter ſcire explicitè, & credere explicitè: explicitè ſcit qui interrogatus, rationem ſcit reddere, explicitè credit, qui rei auditæ aſſentitur. Ab explicita ſcientia eorum quæ explicitè ex neceſſitate præcepti debent ſciri, rudes tarditas ingenij (ſi ſcientiam huiuſmodi impoſſibilem efficiat) excuſabit; ſed non excuſabit ab explicitè credendo ea quæ neceſſitate medij, credenda ſunt. Sufficit autem illis ſi (Confeſſario aut alio narrante & explicante eos articulos, quos neceſſitate medij credere opus eſt) illorum fidem credendo percipiant. Explicitè enim credere, inquit Sanchez, eſt rei, quam quis audiuit aſſentiri: & ſic myſterium TRINITATIS, Incarnationis, audientes à Confeſſario, vel alio docente credunt explicitè rudes, licet non ita aſſequantur; de qua clarior praxis infra dabitur.

Aliorum quoq; articulorum & quidem omnium fidem implicitam neceſſario neceſſitate medij habere tenentur, ipſamq; actu cùm opus fuerit (de quo infra) exhibere, vt profiteantur omne id ſe credere, quod credit S. Mater Eccleſia, per ſe clarum eſt.

QVÆ.

QVÆRES VI.

Quid censendum de illis, quibus mysteria fidei nunquam sunt proposita?

RESpondent plures Theologi apud Becanum, Tom. 2. tract. 1. cap. 12. q. 1. fidem supernaturalem quæ est medium necessarium ad salutem posse haberi ab omnibus adultis etiam Gentilibus, quantum est ex parte DEI; nisi ipsimet impediant. Colligitur ex illo Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in mundum.* & ex illo 1. Tim. 2. *DEVS vult omnes saluari, & ad agnitionem veritatis peruenire*; scilicet quantùm in ipso est, modò ex parte nostra non sit defectus. Clariùs hoc ex illo ad Ephes. 5. *Surge qui dormis & illuminabit te CHRISTVS.* Et ratio est, quia media quæ ad salutem requiruntur sunt inter se subordinata, & vnum datur mediante alio. Vnde qui benè vtitur vno medio, quod ipsi à DEO offertur, paulatim accipit maiora, donec ad finem perueniat; qui verò non benè vtitur, non est dignus maiora accipere, & suâ culpâ à DEO deseritur. *v.g.* homo adultus, qui nihil de fide audiuit, solet frequenter à DEO illustrari & excitari ad obseruantiam legis naturæ, quæ in Decalogo comprehensa est; si obseruat hanc legem, vlteriùs juuatur & promouetur à DEO, donec ad fidem & justificationem perueniat, juxta Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur apud DEVM.* Si non obseruat, meritò deseritur à DEO, juxta Rom. 1. *Cùm cognouissent*

DEVM non ſicut DEVM glorificauerunt; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Ita S. Franciſcus Xauerius Iaponibus à ſe quærentibus, cur DEVS de ſalute aliarum nationum ſolicitus ſuis præceſſoribus, ſui notitiam non impertiuerit? reſpondit: Legem diuinam naturaliter plantatam eſſe in omnium hominum mente, qui ratione vtuntur, quam ſi eorum Anteceſſores obſeruâſſent, dubio procul fidei ſplendore illuminati fuiſſent, dùm autem eam violarûnt, ſe ſempiternæ damnationis effecerunt obnoxios.

Nihilominùs tamen licet ipſorum ignorantia myſteriorum fidei orta ſit ex culpa ipſorum, non tamen dicitur culpabilis, dicit enim Apoſt. Rom. 10. *Quomodò inuocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audiuerunt? fides enim ex auditu.* Multi autem nihil audiuerunt de CHRISTO eiusq; fide, ideòq; nullam habuerunt occaſionem de ea dubitandi aut inquirendi. Et ſi fortè modò aliqui inſtinctu aut ſcrupulo quopiam dubitant de ſua infidelitate, putabunt ſe conſcientiæ ſatis feciſſe, ſi conſilium petant à ſapientioribus ſe: neque ipſis in mentem fortè venit, vt DEVM rogent, vt ſibi reuelet aliam fidem, quæ an ſit prorſus ignorant. Vnde tales mortui in hac ſua infidelitate negatiua, non damnantur ad pœnam ſenſus propter infidelitatem, ſed propter alia peccata contra dictamen rationis commiſſa. *v.g.* paganus aliquis non ideò cruciabitur quòd non fuerit Christianus, cùm nihil de CHRISTO audi-

uerit,

uerit, sed ideò quia dolis se inclinauerit, quòd ratio ipsa illud dictabat non esse DEVM, vel ob aliquam incontinentiam, &c.

Etiam inter Hæreticos (dicit Bress. lib. 5. cap. 10.) multi laborant ignorantia inuincibili mysteriorum fidei, Catholicæ veræq; ac Romanæ Ecclesiæ, præsertim vbi sunt pauciores Catholici; cum ipsis orthodoxa fides, vel articuli controuersi, non fuerint satis expositi; vel non satis intellecti præ naturali hebetitudine aut alia causa. Non enim sufficit ad vincibilem ignorantiam, quòd vel cognitionem veræ fidei diuinitùs acquirere potuerit, si fecisset quod est in se viribus naturæ, obstacula diuini auxilij remouendo, vel gratiæ, vel quod aliquid de Catholica fide & Ecclesia audiuerit; nisi ea sic proponatur & explicetur, vt habeat occasionem prudenter dubitandi & inquirendi: constat autem multis fidem, vt vocant Papisticam, sic descriptam ac depictam esse ab eorum Ministris ac prædicatoribus, vt sincerè putent eam esse manifestam idololatriam, & Ecclesiam Romanam, Synagogam Diabolicam, eiusq; caput Antichristum; quam proindè juxta dictamen conscientiæ suæ horrere potius debeant, quàm inquirere nec dum amplecti.

Ex quibus collige inter hæreticos multò esse plures, qui verè & formaliter hæretici non sunt; nam excusantur à formali hæresi, ignorantia, non tantùm inuincibili, sed etiam vincibili licet mortali, modò hæc non sit affectata, quæ pec-

catum

catum augeat, & pertinaciam non impediat: erunt igitur istiusmodi hæretici, tantùm materialiter etsi positiuè discredant articulos controuersos.

Collige secundò: Satis multos ejusmodi præsertim juuenes, quamuis inter hæreticos viuentes ac morientes saluari, quia receperunt vt suppono Sacramentum Baptismi, & cum eo habitualem justitiam, fidemq; (quæ est magna differentia inter illos & infideles) nec illam per vllum peccatum mortale perdiderunt. Imò nec video causam, cur aliquando perditam, vero actu contritionis, vel amoris DEI supra omnia recuperare non possint, quamuis id rarò putem contingere extra veram Ecclesiam. Quod si objicias neminem saluari extra veram & Romanam Ecclesiam: atqui isti sunt extra talem Ecclesiam, ergo non saluantur: tunc negabo minorem, quia per baptismum sunt adscripti veræ Romanæ Ecclesiæ, & receperunt veram & Romanam fidem licet habitualem; sicut & infantes Catholicorum, nec vt suppono ab ea defecerunt per veram & formalem hæresim. Aduerte tamen primò, rarò contingere vt retineant ignorantiam inuincibilem fidei Catholicæ adulti, qui sæpiùs cum Catholicis versantur, & per Catholicas prouincias mercaturæ, aliauè causa proficiscuntur. Vix enim potest contingere, quin illi habeant rationem prudenter dubitandi: quam si habent, tenentur sub grauissimo peccato rei veritatem diligentiùs inuestigare. Aduerte se-

cundò habitâ ratione prudenter dubitandi, de negotio tanti momenti, quo agitur de æternitate ac salute animæ, requiri ad conseruãdam inuincibilem ignorantiam, studium ac diligentiam majorem humanâ & naturali; atq; adeò preces easq; feruentes, & assiduas, aliaq; pœnitentiæ, vel aliarum virtutum opera eo fine præstita. Ea enim est hujus negotij natura ac pondus, vt ordinaria diligentia illi non sufficiat, etsi sufficeret alijs. Ita Sanchez secutus multos in opere Moral. lib. 1. cap. 6. n. 39. *Vt si quis* (inquit) *in materia fidei hæsitans non haberet Catholicorum Doctorum copiam quos consuleret, sed tantùm hæreticos, nec per se posset se ea dubitatione liberare.* Verùm idem ob eandem rationem dicendum, etsi habeat copiam Catholicorum Doctorum, si ijs auditis maneat dubius, eò quòd *v. g.* Doctores vel prædicantes hæretici afferant rationes dubitandi illorum rationibus contrarias. Tunc igitur oportebit recurrere oratione alijsq; modis ad summum Doctorem Spiritum Sanctum: *hactenùs Bresserus.* Et quidem optimè ad ipsam praxim. Similem doctrinam habet lib. 5. cap. 23. ad deponendam conscientiam erroneam, vt primò diligenter casus discutiatur per notitiam legis, & lumen scientiæ apud semetipsos: Secundò per inquisitionem ex viris doctis, tertiò per orationem, exemplo Iosaphat Regis 2. Paral. 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Nam sicut ignorantiæ rerum fidei potissimum

mum est vita mala, juxta illud: Non introibit Spiritus sapientiæ in maleuolam animam; neglectus orationis, & gratiæ DEI; ita remedium erit vita bona, oratio, & cum gratia cooperatio, eaq; constans & assidua: quod ipsum est facere quod est in se, vt loquuntur Doctores antiqui, scilicet viribus suis & gratiæ. CHRISTVS Dominus lib. 3. Reuel. cap: 26. S. Birgittæ declarat, qui infideles gratiam sanctificantem consequantur. *Si inquit nihil retraxit eos in quærendo verum DEVM, & baptizando; non timor, aut labor, aut dispendium bonorum vel honorum; sed impedimentum solam humanam fragilitatem superans; istos ego qui Cornelium & Centurionem nondum baptisatos vidi, altiùs & perfectiùs remunerare scio sicut eorum exigit fides, &c.* Vnde Catholici debent esse gratissimi pro beneficio orthodoxæ fidei, ad quam sunt præ alijs vocati; ad hoc enim CHRISTVS monet eandem S. Birgittam ibidem dicens. *Ideò teneris tu multò regratiari DEO, quia de Christianis nata es, & in tempore salutis, quia multi desiderabant hoc obtinere & videre, quod offertur Christianis & non obtinuerunt.*

QVÆRES VII.

An Confessarius teneatur interrogare pœnitentem de notitia articulorum fidei?

RESpondeo cum Reginaldo de prudentia Confess. cap. 2 & cap. 3. §. 3. & alijs. Quamuis officium Confessarij per se & directè non sit interrogare pœnitentem, sed illum confitentem

audire; nihilominùs in quantùm fungitur officio judicis ac medici ad intelligendum statum ipsius, & dandam præseruatiuam ad vitanda peccata; tenetur sub peccato mortali ad faciendas interrogationes debitas, quoties aduertit & credit aliquid esse, de quo necessarium sit pœnitentem interrogari, qualis est ignorantia de fundamento salutis, id est, articulorum fidei, quæ ex parte magna in rusticis alijsq; mysteria scienda, vel nunquam clarè fuerunt explicata, vel si explicata non satis intellecta præ naturali stupore ac hebetudine, vel si etiam explicata & intellecta è labili memoria exciderunt. Quare ignorantes omninò edocere debet saltem de principalibus articulis (de quibus supra) & de ijs Sacramentis quæ suscepturi sunt: Ratio aperta horum patet jam ex dictis. Quare non benè faciunt ij Confessarij, qui cum increpatione reijciunt istiusmodi ignorantes, injungendo, vt discant ab alijs: nam populus juxta Malachiam ab ore ipsorum requirit scientiam; hi miseri non habent communiter à quibus doceantur, cùm vel ipsorum parentes, aut socij, sint etiam idiotæ; atq; ita reiecti pro consolatione spirituali in maiores animi angustias cùm horrore Sacramenti pœnitentiæ conijciuntur.

Dices: Si Confessarius tempore concursuum ignorantes doceret; valde paucorum confessiones cum nausea & murmure multorum expectantium expediret. Respondet Reginaldus cit. cap. 1. Pertinet ad prudentiam Confes-

sarij,

ſarij, vt velit potiùs duos audire benè, quàm viginti perfunctoriè vel illicitè. Accipe hic cautelam quam Baſſ in ſuis floribus Theologicis, ex alijs Authoribus collegit v. Confeſſio §. 5. n. 5. Notandum tamen eſt hîc magnum concurſum prementium ſe pro confeſſione non eſſe juſtam cauſam dimidiandi confeſſiones, nec eſſe liberum Confeſſario confitentes ita vrgere ad expediendũ ſe, vt non ſinat eos detegere integrè ſuam conſcientiam, vel vt omittat juuare interrogationibus neceſſarijs.

Deindè per experientiam compertum eſt; pœnitentes velociùs expeditos non fuiſſe contentos, & alios Confeſſarios cum quærela adijſſe; partim propter aliqua peccata omiſſa, à quibus in conſcientia mordebantur, partim propter capiendam inſtructionem in ſcrupulis, vel dubijs rationabilibus, &c. quod præſertim illis accidit, qui ex locis remotis ad aliqua loca ſacra peregrini veniunt, pro finali pacificatione conſcientiarum ſuarum.

Demùm non multùm temporis in ijs docendis Confeſſarius abſumet, ſi vel in charta ruſticano ſtylo neceſſaria fidei, & morum conſcripta dederit alicui, etiam puero coram illis relegenda, vel ipſe breuibus ac ſimplicibus verbis illa declarabit; vel doctioribus adſtantibus iniunget, vt illos rudes inſtruant. Hic modus aliquando feliciter ſucceſſerat in quadam numeroſa Parochia ruſticorum pro Paſcha confitentium, vbi puer illis turmis miſerabiliter igno-

rantibus, relegebat necessaria salutis (desperante ipsorum Parocho de possibilitate illa addiscendi) quæ illi facilè capiebant, postea operâ Vicarij ex illa charta pleniùs didicerunt, vt non fuerit opus in posterum cum illis circa hæc molestiam perferre. Hunc etiam modum Posseuinus in Praxi curæ Pastoral. cap. 7. n. 15. tradit.

Scripti huiusmodi potest esse talis tenor.

INterrogatio. Propter quid homines DEVS creauit? *Responsio.* Vt hîc illum noscant, omnibus rebus præferant, honorent, ipsi obediant, postea habeant vitam æternam, vbi DEVM glorificent in omni sufficientia deliciarum. *Interr.* Vnde hæc discis? ℟. Ex Symbolo Apostolico cùm dicis. Credo in DEVM, credo vitam æternam. Item ex oratione Dominica, cùm dicis. Pater noster. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum; vbi hi duo fines. Honor DEI & vita æterna proponuntur, quæ maximè desiderare & curare per totam vitam homines debent. *Interr.* Quid auertit hominem ab isto fine? ℟. Peccatum, id est, cùm aliquis mala cogitat, mala loquitur, mala operatur, nec curat viuere secundùm legem DEI. *Interr.* Quomodò recuperat iterum gratiam DEI, & aditum ad vitam æternam? ℟. Per veram pœnitentiam; vnde homines ideò confitentur peccata sua DEO coram Sacerdote, vt ipsis dimittantur. *Interr.* Vnde hæc discis? ℟. Ex Symbolo Apostolico cùm dicimus,

Credo

Credo remissionem peccatorum. *Interr.* Quid est DEVS, an audiat, an videat? ℟. Est supremus DOMINVS cæli & terræ, qui maxima & minima creauit, videt omnia, qui dedit oculos, audit omnia, qui dedit aures, scit omnia, qui dedit vnicuiq; intellectum. *Interr.* Quid est SSS TRINITAS, siquidem dicitur DEVS vnus esse in TRINITATE? ℟. Sunt tres personæ Diuinæ, prima PATER, secunda FILIVS, tertia SPIRITVS Sanctus, has nominamus in prolatione S. Crucis; in Symbolo Apostolico cùm dicimus; credo in DEVM PATREM, in FILIVM, in SPIRITVM Sanctum. Nam sicut sol vnus est in tribus rebus; in splendore, in lumine, in calore, ita vnus DEVS in PATRE, FILIO, & SPIRITV Sancto, ideò in memoriam huius recitamus tria Pater, & vnum Credo. *Interr.* Quis natus de MARIA Virgine? quis pro nobis crucifixus, an PATER, an FILIVS? ℟. FILIVS DEI. Nam dicimus in Symbolo: Credo in FILIVM DEI, qui natus ex MARIA Virgine, crucifixus, &c. & ideò festum Natiuitatis Domini celebratur, vbi memoria recolitur, quomodo FILIVS DEI factus sit homo; in Parasceue quomodo crucifixus; in Resurrectionis festo, quomodo resurrexit, &c. In Ascensione, quomodo cælos ascendit; idemq; in fine mundi descendet de cælo, vt judicet omnes, & qui mortui sunt, & qui viuunt; bonis dabit cælum, malis infernum. &c. Et ideò homines modò debent confiteri peccata sua cum

dolore, quod DEO non obediuerint; & cum proposito ea vitandi; vt ipsis dimittantur, ne postea propter illa in æternum damnentur. *Interr.* Intelligitis hæc omnia? Meliùs intelligetis, si recitantes Credo, intra vos hæc trutinabitis, vobisq; particulariter applicabitis; cogitantes, quia etiam pro me FILIVS DEI natus, passus, me judicabit: deindè in fine mundi suscitabit, & si hîc eius voluntatem obseruauero, ipsi me per pias orationes commendauero, dabit mihi vitam æternam. *Interr.* Quid est anima? ℞. Est per quam homo viuit, sentit, intelligit: anima tua es tu, qui per hos oculos aspicis, per has aures audis, per hanc linguam loqueris, per hoc caput intelligis, hoc tuum corpus, cùm per morbum, aut per aliquem casum destruetur, tu ex illo veluti ex domo ruente, debebis exire, & sisti coram Domino DEO, qui requiret à te quomodo hîc vixisti, DEVM neglexisti, templum non frequentâsti, maledixisti, &c. tunc recipies mercedem juxta opera tua, post diem autem judicij, totus cum corpore & animâ, vel vigebis in cælo, in delicijs æternis, vel ardebis in inferno sine *fine*, sine *fine*, sine *fine*. *Interr.* Quid est Diabolus? ℞. Est malus Spiritus, â DEO ex cælo propter superbiam & inobedientiam deiectus: est noster hostis, &c. *Interr.* Quid hominibus datur cùm ad altare accedunt? ℞. Datur Corpus verum CHRISTI: nam dùm per verba CHRISTI consecratur panis, fit ex pane corpus

CHRI-

CHRISTI & sanguis; dùm vinum in calice, fit sanguis & corpus CHRISTI; in vtroq; integer CHRISTVS cum anima & Diuinitate. Et sicut in speculo, vel in aqua tota facies hominis apparet, sic etiam sub specie panis & vini, totus CHRISTVS continetur. *Interr.* Ad quid homines corpus CHRISTI sumunt? ℟. Vt animæ ipsorum sanctificentur & pascantur ad vitam æternam: de quo sunt clara verba in Euangelio ipsius CHRISTI. Hæc rudes facilè percipiunt, licet non possint suos conceptus clarè eloqui. Qui autem de supradictis nihil prorsus capere potest, non video quomodo sit ad sacram Eucharistiam admittendus; quamuis ipsi absolutio Sacramentalis, saltem sub conditione, (si est capax) possit impendi.

QVÆRES VIII.

Qui magis obligantur ad docendos rudes, an Confessarij, an Parochi?

R*Esp.* Parochos magis obligari, ac per se: Porrò tenetur Parochus ex officio (sunt verba Eligij Bassæi V. Parochus) docere populum necessaria ad salutem, putà Symbolum, Decalogum, Pater noster, & peccata communia, generalesq; virtutes; signanter mysterium Trinitatis & Incarnationis; & negligentia magna in his docendis est mortalis. *Væ* Pastoribus, *væ* Episcopis, *væ* Prælatis, inquit Emanuelsa V. Parochus, qui contenti docuisse Symbolum latinè, non explicant rudibus mysteria fidei, & ad-

& addit V. Fides. Potius credideris condemnari istorum Parochos ob negligentiam docendi. Vtiq; non sufficit panem (addit Iacob. Marchant. in Horto Pastoral. tract. 1. de fide Christiana) præbere paruulis, sed frangendus est, sed comminuendus, masticandus, & in fauces inferendus; hoc est simplices sunt instruendi verbis facilibus, in fidei rudimentis: *docendo eos Elementa exordij sermonis DEI. Si enim inquit Aug. æternus pater, vt verbum suum æternum captui nostro coaptaret, & vsibus hominum adijceret, demisit adeò, vt carne & corpore degeneri se vestiret, cur pigeat Doctorem & Magistrum verba & conceptus mentis suæ deprimere, & vulgaribus abiectisq; vocibus subijcere, vt rudium auditorum aptum non superent?* Sunt ignorantes multi negligentiâ Pastorum, qui dedignantur hanc humilem instructionem, quam Paulus & Apostoli, & insignes Ecclesiæ viri non refugerunt; simplex ista instructio longè fructuosior altioribus inuolutis sermonibus ac concionibus, quod indicatum videtur in Canticis. *Meliora sunt vbera tua vino.*

Cum dolore animi excepi de quodam Parocho, qui gloriabatur se suas conciones per subtiles conceptus in gratiam Domini Parochianorum, quem doctum virum fuisse aiebat facere, cùm interim ipse miser de qualitatibus corporum post resurrectionem glorificandorum, nihil cognosceret, suosq; auditores jeiunos spiritualis pabuli sæpiùs dimitteret. Profectò non

vide-

videtur intelligibile quomodo tutâ conſcientiâ audeat ille ad ſacerdotium aſpirare, qui ſaltem Catechiſmum Romanum ex integro non percepit; vel ad confeſſiones audiendas ſe conferre, qui vnum ſaltem ſummuliſtam Caſiſticum integrum intelligibiliter non percurrit. Scriptum eſt enim Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi.* Deindè Confeſſarius imperitus (prout audiui ab illo magnæ Authoritatis viro Sebaſtiano Nucerino) poteſt multis animabus eſſe causâ perditionis. Quare optimo conſilio Synodus Prouincialis Petricouiæ, Anno Domini 1628. de tradenda doctrina Chriſtiana rudibus hanc legem. de Profeſſ. fidei conſtituit: nimirum; *Epiſcopi & omnes Curati tenentur erudire populum curæ & fidei ſuæ commiſſum: quoniam in Regno hoc & Magno Ducatu Lithuaniæ maior eſt pars villarum, quàm ciuitatum vel oppidorum, & in villis ad executionem difficilè deduci poteſt, vt ruſtici, vel incolæ villarum ad diſcendam doctrinam Chriſtianam, pomeridiano tempore conueniant; ipſiq́ Parochi in villis præſertim impediti eſſe poſſint, quominùs eidem doctrinæ Chriſtianæ docendæ attendere valeant. Præcipitur omnibus Parochis, vel eorum Vicarijs vt quolibet die Dominico, abſolutâ concione, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum fidei, præcepta Decalogi & Eccleſiæ cum populo recitent, idq́ omnino in omnibus Parochijs obſeruetur. Præterea vt Parochi in villis conſtituti, conciones ad populum habeant ex Cathechiſmo Concil. Trid. ad Parochos*

rochos tempori accommodatas, ex materia orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ, Symboli fidei, aut præceptorum Decalogi, aliàs iuxta præfationem dicti Cathechismi Concil. Trid. ad Parochos. In quem finem idem Cathechismus Polonico idiomate est impressus ex præcepto S. Synodi.

QVÆRES IX.

Quando tenentur rudes actus fidei exercere?

NOn satis est articulos fidei audire, addiscere, sed opus est insuper illis assensum firmum præbere; non ob aliud motiuum, quàm quia à DEO illæ veritates sunt reuelatæ; nec adhuc sufficit illas credere, sed omnino necesse est ex illa fide viuere; fide & charitate Theologica suas actiones, vt sint meritoriæ vitæ æternæ, sublimare. Vnde valde dolendum est fidem orthodoxam cum mutatione Dominorum, aut locorum à rusticis & famulis aliquando mutari: actus vitæ suæ non secundùm DEI placitum, legesq; diuinas, sed juxta dictamen suæ phantasiæ, sensuum, ac inclinationem carnalium affectuum dirigi. Hinc oratio Dominica perperam dicitur, ad Sacramentum pœnitentiæ, Eucharistiæ ex consuetudine, sine deuotione acceditur, casu viuitur, peccata miserè multiplicantur.

Quare Theologi assignant aliquot tempora, quibus etiam rudes tenentur elicere actus fidei. Primò cùm rationis vsum assecutis veritates à DEO reuelatæ proponuntur, quibus tàm fir-

miter debent aſſentire, vt nullis modis ab iis auellantur: ſecundò cùm debent actus amoris, ſiue æſtimationis DEI ſuper omnia, cultûs diuini, contritionis elicere, Sacramenta ſuſcipere, tentationibus reſiſtere, & ex hac vita cum ſpe ſalutis decedere: nam horum omnium fides eſt radix & fundamentum; ideòque moribundis proficuè inculcatur Symbolum Apoſtolicum.

---

§. 2.

De iuuandis rudibus quoad materiã Confeſſionis Sacramentalis.

QVÆRES I.

Quid faciet Confeſſarius cum illis, qui nullam materiam afferunt pro abſolutione Sacramentali?

RESP. Hîc inprimis armandum eſſe animum Confeſſarij, & phantaſiam roborandam ad perferendas ineptias idiotarum, corq; compaſsione ergà miſeram ipſorum ignorantiam muniendum: deindè iſtum defectum in ipſis debere ſuppleri per ipſius Confeſſarij affabiles interrogationes; ita cenſet cum multis Iacob. Marchat. in Reſ. Paſt. tract. 5. n. 5. Si Confeſſarius (inquit) exiſtimet ſe pœnitentis defectum, qui nullum examen, vel inſufficiens fecit poſſe ſupplere interrogando, & is paratus ſit examinari, poteſt audiri & abſolui; nam magnam ſupplet diligen-

tiæ partem (maximè in idiotis) voluntas quâ desiderant interrogari & respondere. Et ita ordinariè practicandum circa rudes: nam experientiâ comperimus inutiliter remitti, quia vel non redeunt, vel æque imparati veniunt. Et ratio est, quia idiotæ non possunt ita suas conscientias scrutari, sicut doctiores. Quod si pænitens aliquantum peritus sit, & à longo tempore non confessus, inuolutusq; varijs generibus peccatorum, suauiter quoad fieri potest ei persuadeatur, vt præuiè per aliquid temporis se disponat. Hæc ille. In hunc etiam sensum Bress. lib. 1. cap. 2. n. 194. ait. Potest imò sæpè debet Confessarius pœnitentem interrogando supplere partem diligentiæ; non tamen totam: quia etsi sæpè expediat non permittere, imò prohibere; ne rudes, vel scrupulosi multùm examinent conscientiam suam, ne turbent caput suum, vel magis intricent scrupulis; facilè tamen possunt, ideòque debent illam examinare, saltem obiter: tùm quia alias vix fieri potest, vt repentè interrogati absq; vlla præmeditatione verè de singulis respondeant, (cùm præsertim confitentur de longo tempore) tum quia incertum est, an Confessarius interrogaturus sit de singulis peccatis, quorum ipsi sibi conscij sunt. De quo examine faciendo sunt docendi à suis Parochis in Concionibus.

In praxi ergo accommodando se informationi Ritualis Romani (à qua nullatenus tanquam à principali norma est recedendum) Confessarius

primò

primò aduertat, an ille rudis rectè proferat, aut formet signum S. Crucis (inueniuntur enim & inter politiores, qui vel illud omittant, vel perperam faciunt) & ignorantem ne sibi timeat à S. Cruce, doceat: deinde an præmittat confessionem simplicem generalem; aliqui enim putant confessionem fieri tantum soli sacerdoti, indeq; celant sua peccata, & ideò saltem hæc verba proferunt. Confiteor Deo. Beatæ M. V. omnibus Sanctis, & tibi Pater quia peccaui. Tertiò interrogetur quàm pridem confessus: hoc enim punctum conducet ad cognoscendam quantitatem peccatorum in illo qui numerum ipsorum nescit indicare. Quartò: an pœnitentiam iniunctam expleuerit: quam si per longum tempus distulit, pro hoc peccato coram Deo doleat, siquidem illa satisfactio est pars Sacramenti pœnitentiæ, quæ cum alijs debet quantocyùs coniungi: & dilatio illius per annum pro peccatis mortalibus facit peccatum mortale, vt passim DD. Quare seriò inculcetur illi negligenti, ne vlterius illam differat. Est enim quorundam magnus abusus, quòd cùm habeant tempus ad comedendum, bibendum, dormiendum, &c. & pro quinque Pater & Aue, dicunt se non posse habere: vel etiam suas priuatas preces (quas aliquando ex delectatione propriæ phantasiæ persoluunt) anteponunt huic parti Sacramentali, à Vicario Christi sibi assignatæ. Tandèm jubeat pœnitentem vt sua peccata recenseat; qui si respondeat ipsa à Deo, vel

ab ipſo Sacerdote cognoſci; vrgeat Confeſſarius an ipſe etiam aliquid contra ſe ſciat, & dicat, à quo abſoluatur? Si aſſerat nullius peccati ſe conſcium eſſe; examinetur ex communibus peccatis. *v.g.* An ſacro Miſſæ aliquo feſto non habens juſtum impedimentum (nam hîc futiles aliquando excuſationes adferunt) omiſerit? An ex animo maledixerit? An voluerit aliquid ſurripere (nam voluntatem efficacem ad malum pro peccato ipſi non reputant) damnum volens alicui intulerit? ſe inebriauerit? Luxuria aliqua oblectatus fuerit? An vxor marito maledixerit? &c Si nullam prorſus materiam præbeat, tunc Confeſſarius non debet angi, vel ipſum angere, diſceptando cum ipſo de incuria peccatorum, vel acrius increpando eius negligentiam, &c, in caſſum enim hæc cum talibus fiunt. Sed vno ex his modo, cum ipſo procedat. Primò ſi hominem aduertit bonæ voluntatis, nec diu confeſsionem ſuam protraxiſſe: tunc cum ipſo præmittat actum contritionis in hunc ſenſum quærendo ex ipſo. *An DEVM plùs æſtimet, amet, magis quàm omnia in mundo? An ex animo doleat, quod aliquando DEVM offenderit, ipſum neglexerit, ipſi non obediuerit? An habeat propoſitum firmum peccata vitandi? voluntatem DEI in omnibus faciendi?* Quo affirmante (alias benignè doceatur) dicat ſupra ipſum Miſereatur, Indulgentiam, &c. formâ abſolutionis & alijs prætermiſſis; & ad S. Euchariſtiam admittat Peccata enim venialia, quæ ipſe in ſe minimè aduertit, non ſunt materia

necesſa-

necessaria confessionis (juxta Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.) Vnde si quis tantùm venialia habeat quamuis sit tempus Quadragesimale, siue Paschæ, non tenetur illa confiteri, sed debet sumere Eucharistiam; nisi sequatur scandalum, tunc enim debet accedere ad confessionem saltem vt dicat se non habere conscientiam peccati mortalis. ita Tol. lib. 3. cap. 3. n. 7. & alij apud Bass. V. Confess. §. 1. n. 18. vt plurimum autem rustici qui modico victu vix suam vitam trahunt, laboribus assiduis atteruntur, ferè sub continua custodia Dominorum degunt; raró propendent ad peccata mortalia, ideóq; non sunt ita rigorosè in confessione examinandi, sicut illi qui otio, voluptatibus, alijsq; vanitatibus laxantur in mala, quæ aliquando pro peccatis non reputant, vel mortalia pro venialibus æstimant.

Si quis tamen pro tutiore sui conscientia & majori fructu spirituali pœnitentis, maluerit eundem cum Sacramentali absolutione dimittere, tunc priùs extorqueat ab ipso aliquam materiam absolutionis, *v. g.* An doleat quod perperam vixerit, non aduertendo suas cogitationes, verba, opera, an sint licita, vel illicita, an quotidiè, an deuotè Orationem Dominicam recitauit, an patiens in aduersis fuerit &c. Quod si ista vel similia penitus neget, leniter erit coarguendus de tali vecordia, circa obediendum DEO & salutem suam curandam, cùm sit impossibile quin aliquod peccatum veniale non commiserit: & hæc jam erit materia absolutionis, quòd in-

consideratè vixerit, & ideò nullum defectum in se aduerterit. Quare pro hac negligentia, ac præteritis vanis cogitationibus, verbis, operibus, coram DEO doleat, & in posterum diligentiùs suos actus prospiciat, vt in istis declinet à malo, & faciat bonum propter DEVM, ac sese Christo per pia suspiria sæpiùs commendet. Nam & idiotæ non debent casu ad instar belluarum viuere, sed juxta rationem & legem DEI, suoq; modo tenentur ad perfectionem tendere, vt peccata magis magisq; deuitent, & opera bona ampliùs exerceant, aduersa promptiùs perferant propter DEVM, cælum & virtutem, seq; in omnibus diuinæ voluntati resignent. His ipsi inculcatis, pænitentiâ iniunctâ, ac præmisso actu contritionis, vt supra, eum Sacramentaliter absoluat.

Et hic secundus modus, multò magis cum illis seruandus, qui *v.g.* ante medium annum confessi, nullum peccatum afferunt: nam fieri potest, vt aliquis directè à veniali absolutus, etiam à mortali indirectè absoluatur, si quod fortè per illud tempus commiserit.

Porrò Confessarius potest esse contentus, si saltem vnum peccatum veniale à talibus audiat: non enim tenetur pænitens omnia venialia recensere, nec pro omnibus dolere (Bass. V. Confess. §. 3. n. 7.) nullus etiam tenetur vt docet Bress. lib. 1. Cap. 20. ad exactum examen conscientiæ, si non est conscius peccatorum mortalium; sed sufficit in confusò illud facere, vt ali-

vt aliqua ſaltem dicat. Imò talis, numerum & ſpeciem peccatorum tacens, validè confitetur: dicens in communi ſe venialia peccata commiſiſſe. Hanc ſententiam Homo bonus citans aliquot D D. probabilem eſſe putat.

Iſta propter illos dixerim, qui ſe accuſant de peccatis venialibus, & propter ruditatem non poſſunt illa explicare: nec non propter eos qui nimis ſcrupuliſant in recenſendis peccatis venialibus, & interim nullam diligentiam in ipſis corrigendis adhibere volunt, indeq; in grauiora labuntur, quibus cautela circa hæc infra dabitur.

Quapropter illi rudes qui dicunt ſe nullo modo poſſe ſine peccatis viuere, ſunt admonendi vt ſaltem illam vecordiam à qua Eccleſia ſe præſeruari orat in illo verſiculo. Sint pura cordis intima, Abſiſtat & vecordia, in ſuis actibus vitent, & in poſterum talem prudentiam adhibeant, vt pro poſſe à delictis, gratiam Dei inuocando caueant.

Circà ſatisfactionem vulgò dictam pænitentiam rudibus vtriusq; ſexus, qui grauioribus laboribus fatigantur, eſt obſeruandum: vt ipſis magna jeiunia, præſertim in ſiccis, diſciplinæ eis inſuetæ, vel alia per quæ in ſuis laboribus impediri, vel in aliquam ſiniſtram ſuſpicionem apud ſuos deuenire poſſint; non imponantur. Iunioribus tamen ad refrænandum feruorem luxuriæ, iniungendus eſt parcus vſus cibi ipſis obuij, vt *v.g.* certis in hebdomada diebus, feria 2. 4. 6. dimidium tantùm prandij ſumant, vel

aliquod ferculum ſibi ſubtrahant, aut nocturna flexio, vel aliqua diurna ſeparata per ſeptem Pater & Aue extenſis per modum crucis manibus, vel in faciem ipſorum, ſpontanea verberum inflictio, aliæq; commodæ ipſis carnis afflictiones per quas aſſueſcant corpori ſuo dominari. Item non ſunt onerandi multis orationibus, ſufficiet enim aliquibus, vt tria in die profeſto Pater & Aue, bis vel ter veſpere, mane, meridie orent, vel quinq; aut ſeptem in honorem paſſionis Chriſti, & compaſſionis B. V. in diebus autem feſtiuis, quindecim Pater & Aue bis, aut ter. Interim autem crebrius ad DEVM aſpirent per illam orationem, DEVS propitius. Et labores ſuos Paſſioni Chriſti aut laboribus eius commendent ſimplici ſuſpirio. Pro grauioribus tamen peccatis, prout aliquando accidunt in lixis aut famulis militum, vel aulicorum; pænitentias Confeſſarius juxta canones pænitentiales temperabit, ac præmonebit: vt ſiquidem tàm paruas pænitentias propter ſuam fragilitatem pro tantis peccatis habent aſſignatas, ipſi ſibi alias ſponte injungant, aduerſa patienter tolerent, alios à malo auocent, ad bonum pro poſſe ſuadeant &c.

APPENDIX.

Peccata communia pro examine rudibus in concione aliqua, vel ante confeſſionem Sacramentalem congregatis proponenda. Ex Ioanne Herloto Dominica tertia Quadrageſima.

Pri-

PRimi sunt qui scienter jurant per DEVM, quod non est verum; Tales peccant mortaliter siue joco siue seriò id faciant in vendendo, emendo &c. Secundi qui falsificant fidem, qui scilicet credunt carminatricibus, quæ carminant benedicentes oculos, pueros, & pecora, vel qui litteras portant in collo pro oculis, vel quod non possint capi, vel vulnerari. Et qui tenent fatum, augurium, somnia, dies Ægyptiacos, vel vadunt ad phitonissas, quando res sunt furto ablatæ; tales omnes peccant mortaliter. Vnde dicitur in Decr. *Diuinationi qui intendit damnationem animæ incurrit*, *26. q. vlt. Non obseruet*. Tertij sunt, qui soluunt festa laborando, & sic negligunt Missam, & S. Sermonem. Similitèr qui soluunt jeiunia Ecclesiæ sine causa & necessitate. Quarti sunt filij & filiæ, qui friuolè offendunt parentes, & sunt eis inobedientes, & infideles in vita ipsorum; & post mortem non subueniunt animabus ipsorum, & tales pueros punit DEVS, quandoq; in rebus, quandoq; in corpore. Quinti sunt, qui murmurant contra DEVM, & contra Sanctos, propter auram, & propter mortem puerorum, consanguineorum, in tribulationibus, in infirmitatibus, in paupertate, in difortunio. Et etiam qui maledicunt sibi ipsis, & ex impatientia optant sibi ipsis mortem, tales possunt sic damnare animas suas, per impatientiam suam. Vnde Matth. 5. In patientia possidebitis animas vestras. Tales cogitare deberent quod nullus saluari poterit sine tribu-

lationibus. Vnde Actor. 14. Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum cælorum. Similiter quòd grauiùs, qui frangunt scientes, & sine causa vota, quæ Deo & Sanctis vouerunt in tribulationibus. Sexti sunt luxuriosi. Nam omnis actus luxuriæ, qui scienter & voluntariè committitur, extra Matrimonium, est peccatum mortale. Septimi sunt, qui damna inferunt proximis, & vsurpant sibi injustè res alienas, vt sunt illi qui inferunt damna proximis in graminibus, rapis, piris, oleribus, & etiam qui cum equis damna proximis inferunt. Similiter serui & ancillæ qui bona dominorum suorum furtiuè subtrahunt, sine scitu dominorum suorum. Similiter lusores, vsurarij, raptores, vel etiam qui res malè acceptas comedunt, vel etiam emunt, vel etiam qui falsam pecuniam proximis scienter tribuunt. Et etiam qui non dant plene decimas, offertoria & jura Parochialia. Et etiam qui non persoluunt debita proximis suis, sicut promiserunt. Isti omnes non sunt absoluendi, nec communicandi nisi juxta posse suum velint restituere. Vnde dicitur in Decr. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. dist.* 34. *generalis.* Octaui sunt, qui detrahunt & infamant proximos, & etiam qui fraudulenter loquuntur cum proximis, & etiam qui perturbant proximos verbis iracundis, derisorijs & vituperijs. Insuper qui libenter audiunt, & citò credunt detractoribus. Vnde dicitur in Decr. *Qui falsum de alio profert, etiam qui crimina citò credit.*

vterq; reus erit. 11. *q.* 3. *Non solum &c.* Noni sunt, viri & mulieres etiam virgines quæ DEVM offendunt chorizando, & etiam superbiendo in vestibus. Nam quæcunq; mulier & virgo sic se ornat, in crinibus, in facie, in peplis, in cingulis, in vestibus, inspiciendo se in speculo, & hoc facit ex superbia, alliciendo masculos ad malas concupiscentias, talis persona peccat mortaliter. Vnde dicit August. Meliùs est mulierem lanam suam texere, quàm impudicè chorizare. Decimi sunt qui excedunt mensuram in comedendo, bibendo, seq; inebriant. Vndecimi sunt iracundi & inuidi, quia qui irascuntur cum deliberatione, & consensu rationis, & cogitant in animo suo, quomodo possint se vindicare. Et si illam iram ostendant verbis, scilicet maledicendo proximis, vel etiam percutiendo, vel vulnerando, tunc grauiùs adhuc peccant. Duodecimi qui in Matrimonio malè viuunt, scilicet quando vir percutit ex ira, & sine causa vxorem, & etiam mulier, quæ est inobediens marito in rebus licitis, & insuper maledicit viro, vel etiam quæ prouocat scienter maritum ad blasphemandum vel maledicendum. Et etiam parentes qui permittunt filios, filias, jurare, maledicere, blasphemare, damna proximis inferre, chorizare, fornicari. Et si non corrigunt peccata puerorum, tunc ipsi parentes lugebunt. Vnde ad Rom. 1. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Vnde etiam dicitur in Decr. *Pari pœnâ puniendi sunt agentes & consentientes*

 entes

entes 14. 9. 4. *Omnis.* Hîc adde temeraria judicia, cogitationes, delectationes luxuriosas aliaq; peccata interna, quæ pro nihilo reputantur, susurrationes, seu dicta odiosa, vel facta relata alijs, quæ lædunt amicitiam. Hîc etiam aduerte circa choreas; illas à Doctoribus simpliciter non damnari, sed tantùm illas quæ fiunt ex mala intentione vel abusu &c. Vide Bass. pag. 465. n. 20.

QVÆRES II.

An Confessarius si videat pænitentem omittere vel obliuisci alicuius peccati, teneatur illum de eo interrogare?

R*Esp.* Ordinariè teneri, qui cum agat partes Iudicis, munus eius est curare integritatem Sacramentalis huius Iudicij. Dico ordinariè, nam quandoq; contingit, quod pænitentes non existiment esse peccata mortalia, quæ talia judicat Confessarius, & ex bona fide vel ignorantia non putent se teneri ad ea confitenda, nec fructus speretur interrogando & monendo; tunc potest non interrogare, de quo infra clariùs quæsito tertio. Sed quid si interroget Confessarius, & neget pænitens se fecisse, cùm tamen sciat Confessarius, tale peccatum ab eo commissum? *Resp.* Si sciat viâ aliquâ extra confessionem, potest eâ vti ad eum conuincendum; Quodsi nihilominùs neget, regulariter tenetur ei credere, aut existimare illum esse confessum, aut alia ex causa posse excusari, ad non aperiendum peccatum. Nam ordinariè in hoc foro standum est

pæni-

pænitenti pro se. Quod si viâ confessionis alterius complicis nouit, non potest eum conuincere: prudenter tamen (idq; propter varia pericula) potest interrogare, ita vt non aduertat pænitens, ex alterius confessione venire. Et tamen si neget, non potest absolutionem negare, quia non magis tenetur vni, quàm alteri credere. Frequenter contingit in confessione quod vxor asserat aliquid, & illud maritus neget, sic & in alijs pænitentibus complicibus peccati, vnus suo modo, alter planè diuerso factum enarrant. Quid faceret Confessarius? Licet pro vna parte magis, quàm pro altera veritatem stare moraliter colligat, tamen non potest aliud dicere, quàm judicet Dominus inter me, & te? Potest autem fieri, vt proprijs oculis peccatum viderit, vel peccantem blasphemis & iniuriosis verbis audierit, sciatq; certò personam, non esse de ea confessam, sed perniciosè mentiri, nec vllo modo posse excusari: tunc non debet absoluere, cum certus sit de indispositione. *Iac. Marcb. Res. p. tr. 5. n. 6. Cap. 2.*

QVÆRES III.

Quid faciendum cum illo, qui numerum peccatorum non potest exprimere?

RESP. *cum cit. Marcb.* Aperiendam esse consuetudinem quanta & quam diuturna fuerit, vt quantùm fieri potest status pænitentis intelligatur, dùm tempus & frequentia aliquo modo indicatur, vt toties in hebdomada, vel mense vel

anno.

anno. Qui autem non potest hæc etiam specificare, dicat se valdè sæpè hæc fecisse, aut quasi quotidie, aut frequenter in septimana; hoc enim sufficiet ad aliquo modo statum aperiendum, prout potest. Ex his resolutio patet casuum frequentium. Primus est. Si accedat concubinarius; sufficienter statum suum declarat, & numerum dicendo, se vno vel duobus annis concubinâ tanquam vxore vsum fuisse, continuâ cum ea cohabitatione & carnali consuetudine.

2. Si meretrix dicat se tot annis expositam fuisse, & omni occasione oblatâ peccasse fornicando & inducendo, si tamen specialiter exprimere possit actus specie differentes, à simplici fornicatione, vt puta cum coniugatis, aut consanguineis, aut Sacerdotibus, aut Religiosis, carnale commercium habuerit, tenetur id exprimere. Alioqui si non possit dicat se quibuslibet viris expositam fuisse.

3. Qui in odio proximi hæsit per annum; sufficit id exprimere, quia in tali mora temporis, status declaratur, & confusè in ea explicatur numerus humano modo possibili; dicendo se quasi continuò, aut toties quoties persona illa menti occurat, quod frequentissimè factum fuisse agnoscit, odium renouasse, vel malum voluisse, illiq; maledixisse aut mortem optasse.

4. Si miles accesserit, dicat se per sex, aut septem annos juramentis, blasphemijs, concussionibus deditum fuisse; sic & alia vitia militiæ

ordi-

ordinaria exprimere poterit. Putantq; aliqui sufficienter exprimi saltem tali modo. Si tamen concussiones & violentiæ sunt quandoq; enormes, vellem specificari.

5. Si vsurarius accedat, & dicat se decem annis vsuras cum omnibus accedentibus exercuisse, satis aperit statum.

6. Nummularius qui multis annis, vacauit cudendis, quibuscunq; adulterinis aut circumcidendis monetis probis; satisfaciet dicendo se talem statum tot annis exercuisse. Confessarius tamen aduertat, quæ restitutio sit facienda vel Principi, vel Principis nummulario, vel alijs damnum passis, vel pijs causis, id etiam notet in prioribus casibus.

Item satisfacit qui rem alienam detinuit, quàm potuit Domino restituere, explicando tempus quo rem detinuit: quia præceptum explicandi numerum peccatorum, non obligat ad impossibile, sed id quod moraliter fieri potest, vnde Confessarius in prædictis casibus, non debet se scrupulosum gerere, cogendo pænitentem, ad exprimendum certum numerum, nam sæpè accidit; vt pænitens explicando numerum faciliùs erret, quàm explicando solum tempus consuetudinis, aut iniquæ detentionis. March. cit. Cap. 3. Addit Bass. V. Confess. §. 4. n. 21.

Interni actus peccatorum declarari possunt, dicendo se fuisse paratum ad committendum,

vel

vel desiderasse tale peccatum, quotiès occasio vel memoria illius occurrebat.

Hic insuper aduertendum est quod rudes, qui agresti, & inculto modo confitentur sine numero & diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones factas, cum indoctis Parochis: cùm enim bonâ fide confiteantur, & vniformem vitæ modum, & viuendi rationem habeant; statim ex confessione vnius anni conijciet prudens confessarius, quantum in reliquis annis peccauerint, & quot numero peccata commiserint. Quæ benè post Nauarrum & Herinques, adnotant Fagundes, Syluius, Diana & alij.

Porrò Confessarijs debet maior cura esse, de excitanda contritione, in suo pænitente, & firmo proposito non peccandi ampliùs, quàm de numero peccatorum nimis anxiè inquirendo, dùm aliquo modo status pænitentis agnosci potest. Nam velle rudes ad specialiorem numeri specificationem vrgere, potiùs est velle eos diuinare, quàm verisimilia confiteri; cum experientia constet, si vrgeantur verisimilem numerum dicere in specie: non nisi coniecturam parum verisimilem facere: videnturq; solùm importunitatem Confessarij vrgentis voluisse fugere, coniecturalis alicuius numeri expressione: in diuersis enim peccatis ferè eundem numerum exprimunt, licet vnum præ altero longè frequentiùs commiserint. Meliùs itaq; faciet Confessarius, si tales pænitentes inducat, vt simpliciter aperiant statum, modum viuendi, consuetudines,

dīnes, conuersationes inclinationem, occurrentias & incentiua, vt ex illis prudenter colligat, constitutionem & malitiam, quibus huiusmodi peccatores grauantur. Vnde potest aliquis rusticus celans etiam per quadraginta annos enorme peccatum; per mediam horam expediri, quia cum vniformem duxisset vitam, facilè eius status poterit cognosci, breuiter examinando ipsum, de cursu adolescentiæ & matrimonij.

QVÆRES IV.

Quid faciendum Confessario, qui videt pænitentem versari per ignorantiam in statu de se malo?

RESP. Reginaldus de pruden. Confessarij Cap. 4. Sect. 1. & 2. per sequentes propositiones.

Prima est: quando confitentis obliuio, vel ignorantia vincibilis fuerit (quod colligi poterit ex eiusdem confitentis conditione, ex dubitationibus quas facit) Confessarius obligatur illum instruere, & admonere de eo, quod nouit debere in confessione exprimi, & aduertit per talem obliuionem, aut ignorantiam taceri. Hanc propositionem (quam sine controuersia receptam esse notat Canus) satis confirmat obligatio, quam Confessarius habet supplendi in confessione, quod necessarium est ad ipsius validitatem. Nam talis siue obliuio siue ignorantia, quæ de se culpabilis est non excusat à peccato mortali; ideoq; in tali casu obligatur sacerdos

pæni-

pænitentem instruere, quidquid sequatur: & siue prosit, siue obsit admonitio, eumq; informare de veritate vt eâ cognitâ, resipiscens conteratur de tali peccato, sicq; legitimè confiteatur. Quod si non faciat, & nihilominùs absolutionem petat, peccat mortaliter, peccato sacrilegij commissi, contra Sacramenti sanctitatem: in eius notabilem iniuriam: siq; Confessarius eam impendat, tanquàm malè fungens Iudicis & Medici officio in re grauissima, infideliterq; dispensans DEI mysteria, peccat quoq; mortaliter, neq; absolutio valet.

Iam quod visum est quibusdam, tunc Confessarium teneri quoq; ad restitutionem, si peccatum fuerit commissum in damnum proximi, reijci potest: quia Confessarius ex officio, quod gerit, tenetur quidem animæ consulere pænitenti sibi confitenti: nec quicquam consulere in malum proximi. Sed aliorum bono consulere non tenetur, nisi de communi lege charitatis. Vnde si interrogetur à pænitente, an restituere debeat, ipseq; neget, tunc quidem tanquam cooperator injuriæ, tenetur ad restitutionem; sicut teneretur quiuis alius similiter interrogatus, si consuleret non restituere: sed si pænitens non interroget, Confessarius ex eo quod audiat vsurarium *v.g.* & culpabiliter tacens, nihil eum de restitutione moneat; quamuis peccet contra charitatem, non tamen contra justitiam; quia ex officio quod gerit, non tenetur bono illius tertij, cui facienda est restitutio, ita consu-

lere; vt contra debitum justitiæ agat, non admonendo faciendam esse restitutionem.

Secunda propositio est. Quæcunq; ignorantia sit pœnitentis, si dubius de aliqua re interroget Confessarium, hunc teneri veritatem illi aperire; quantumcunq; id nihil sit profuturum, ratio est: quia pœnitentis conscientia sic læsa est illo dubio, vt ipse desinat esse in bona fide: taciturnitatem verò Confessarij posset ipse interpretari, in fauorem, approbationemuè sui erroris. Verùmtamen restringi posse videtur hæc propositio, vt non habeat locum quando pœnitens interrogat, non vt verè dubius, sed vt scrupulo agitatus: quia per scrupulum, cum sit dubium carens fundamento, non aufertur bona fides, & inuincibilis ignorantia: adeò vt Confessarius ad vitanda grauia incommoda secutura, possit tacere aut dicere, vt abijciat scrupulum.

Tertia propositio est. Quando pœnitentis obliuio, vel ignorantia fuerit inuincibilis, tenetur Confessarius admonere eum de eo, quod ex tali obliuione vel ignorantia dicere prætermittit, si fructum verò similiter sperat, ex data informatione de veritate: hoc Canus confirmat; tùm quia Confessor absoluens pœnitentem errantem circa materiam peccati mortalis, & in omnibus paratum corrigi, opere suo errorem illius confirmat; tùm quia Confessarius quidem vt Confessarius, tantùm est Iudex & Medicus, qui circa peccatum (à quo excusat ignorantia inuincibilis) munus suum exercet; tamen vt simul est

pro-

proprius Sacerdos & Pastor, ac Doctor, infideliter ageret contra Magisterium sibi commissum, nisi errantem doceret: cùm videamus pœnitentes ad eum tanquàm ad DEI vicarium accedere: non tantùm vt absoluantur, sed etiam vt instruantur.

Quarta propositio: Cùm nulla Confessario datur spes, quòd pœnitens ex informatione veritatis profecturus sit: satiùs tunc esse illum in sua ignorantia relinquere? siue ignorantia sit juris Diuini, vel humani, siue ignorantia facti; & siue peccatum sit continuatum in damnum proximi, siue non sit. Pro hac multos Sanchez citat, & cum Nauarro censet eam procedere, non modò quoad peccatum comissum, sed etiam quoad committendum: quando ipsum inuincibiliter ignoratur, nec est spes probabilis, quod is quod admissurus est illud, si moneatur, acquiescet abstinendo ab illo. Et ita (vt exemplo proposito rem illustremus) in sua ignorantia inuincibili relinquendus est: tùm is qui matrimonium contraxit, cùm impedimento dirimente: tum etiam is qui simili modo contracturus est; quando probabiliter creditur in proposito perseueraturus, non obstante monitione. Addit præterea Sanchez procedere, quantùmuis confessarius ita sciret illud, de quo moneret vt ipsum probare posset; item quantùmuis malum, quod timetur secuturum ex admonitione prouenire deberet non ex infirmitate, sed ex malitia admoniti. In confirmationem autem propositionis

huius Medina, & Canus adferunt dictum D. Augustini quod refertur in Cap. Si quis 2. de pænit. dist. 7. *Si scirem nihil tibi prodesse non te monerem, non te terrerem.* Itemq; alterum, quod vt rationi consentaneum vsurpatur à Theologis ex Salustio in Catilinaria. *Frustra niti & nihil aliud laborando, quàm odium quærere; extremæ dementiæ est.* Quibus accedit ratio; q[illegible]d nulla lex obliget ad actus inutiles, & otiosos: qualis censeretur dicta admonitio, vt potè quæ longè aberret à fine in quem ordinatur. Is enim est bonum confitentis, sicut finis correptionis fraternæ, est bonum eius qui corrigitur; bonum autem confitentis per talem admonitionem non promoueretur, sed impediretur: vt ex eo patet, quòd tali casu, si ille monitus de veritate non acquiescat monitioni, incapax sit absolutionis; manens verò in ignorantia sua inuincibili non informatus de veritate, sicut potest sufficienter conteri de omnibus peccatis suis, & confitens de omnibus quorum memoriam habet, discussa diligenter conscientia; sic etiam dignus potest haberi absolutione. Quod autem Adrianus in contrarium adfert, ostendendo scandalum permittendum esse potius, quàm omittendam veritatis declarationem, Canus admonet; intelligendum esse de publico Doctore, cuius doctrina licet alijs sit odor mortis in mortem; debet nihilominùs tradi populo. Itaq; doctrina quidem, quæ ordinatur ad bonum publicum, non est intermittenda ob malum priua-

tum; ſed doctrina quæ pro fine habet bonum priuatum, ceſſante tali fine, ipſa quoq; ceſſare debet. Vnde ſequitur præfatam admonitionem ceſſare debere, quando ea creditur non ceſſura in confitentis priuatum bonum, quòd eſt illius finis. Excipe caſum in quo ex ignorantia timeretur notabile detrimentum boni communis; cui poſtponendum eſt bonum priuatum: cuiuſmodi caſus Sanchez exemplum proponit: ſi Parochus ex ignorantia populum ſuum erroribus in fide aut in moribus imbueret: aut ſi publica fama eſſet de inualiditate Matrimonij ſuorum cohabitantium.

Ex dictis reſoluitur facile, quid à Confeſſario in multis euentibus agendum ſit, vt cenſeatur cum iſtiusmodi prudentia procedere: nempè ſi Berta bona fide contraxit matrimonium cum Petro, credens probabilibus argumentis priorem ſuum maritum eſſe mortuum, quod eſt laborare inuincibili ignorantiâ facti, ſeu neſcire inuincibiliter, quod defacto prior ipſius maritus adhuc viuat. Vel ſi Petrus nupſit Marthæ cuius antea ſororem cognouerat, bona fide putans matrimonium eſſe validum, & diſpenſationem moraliter impoſſibilem, aut ſummè difficilem. Item ſi aliquis contractum vſurarium fecerit ignorans inuincibiliter talem eſſe, eò quod in illo palliata vſura ſit valde occulta, atq; ille adierit viros doctos & fide dignos ad habendum conſilium, & reſponſum acceperit tale quid ſibi eſſe licitum. In omnibus & ſimilibus prudenter (prout tenetur)

aget

aget Confessarius, si credens suum consilium profecturum, admoneat; sin minus, non admoneat, siue id sit in detrimentum proximi, siue non: & siue sit contra jus humanum, siue contra Diuinum inquit Canus, addens id intelligendum esse, cum nec statim nec postea fructus admonitionis speratur. Quam doctrinam Medina quoq; inculcat inquiens: si verisimile est quod confitens, si ei veritas quam inuincibiliter ignorat, notificetur, ita scandalazabitur quod nunquàm finis notificationis eueniet: nempè quòd propterea non recedat à peccato, nec proximo læso satisfaciat: Confessarium malè agere informando illum de tali veritate, debereq; sine tali informatione ipsum absoluere. E. g. Si quis juridicè in judicio torquendus, putet omninò sibi licere veritatem negare ad liberandum se à morte, & infamia, non est monendus id ipsi esse illicitum, sed sufficiet interrogare in vniuersum; an sit paratus quiduis pati potiùs, quàm DEVM offendere? Si enim pænitens non tenetur particulares comparationes sumere (vt pati extremi supplicij ignominiam, & sic de similibus) ad explorandam suam contritionem, multò minùs tenetur Confessarius ab illo eas interrogare.

Iam si scandalum quod euenturum timetur momentaneum sit, ita; vt non speretur quidem tunc fructus admonitionis, spes sit tamen eum secuturum, Confessarius tenetur pænitentem ipsum informare de veritate, quam ignorat; pro quâ doctrinâ Sanchez plures Authores referens: addit

cum eo Medina: præstare monitionem fieri post absolutionem, quàm ante; nè ex perturbatione, gratia, & fructus Sacramenti impediatur.

Addit adhuc Canus, si alicunde constaret fore vt pænitens moneatur ab alio Confessario; qui imprudenter malo ipsius medebitur, consultiùs esse ignorantem admonere: nisi adhibendum sit remedium intollerabile, quale censebitur, si exemplis supra positis addas susceptos esse filios ex existimato matrimonio, diuturnam cohabitationem, scandalum publicum, & similia: Quò euentu inquit Canus, nullus tam imprudens erit, quin præsens horreat periculum, tùm perplexitatis, & difficultatis, in quod conijcientur, qui sunt in bona fide: cùm occasiones peccandi capiendas ab alijs, qui alioquin sunt in bono statu. Id quod (alijs citatis) Sanchez ita verum esse vult, vt in eiusmodi casu Confessarius nolentem debitum coniugale reddere, debeat ad id cogere, tanquàm à peccato excusatum ob ignorantiam inuincibilem, si reddat: & peccantem contra conscientiam, si non reddat. Neq; mentietur dicendo illum esse suum coniugem, cum sit communi existimatione; sicut nec mentita est B. V. cùm dixit CHRISTO. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: Luc. 2.* quia quamuis S. Ioseph, non esset verè Pater CHRISTI, erat tamen reputatione communi. Infert idem Sanchez argumento à maiori: quando pænitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeò difficile, vt Confessarius credat ipsum non

esse

esse tunc æquo animo accepturum admonitionem, alias verò admissurum melius, quàm diu nouit eum excusari, per ignorantiam inuincibilem, posse tacere, & in tempus opportunius admonitionem differre: adeoq; prudenter agere Confessarios eos, qui non omnia ad quæ tenentur pænitentes, simul, primaq; vice aperiunt; nè deterriti abstineant omninò à confessione; sed ipsos paulatim docent de ijs, ad quæ tenentur. Quâ quidem in re opus est magnâ circumspectione, in eaq; vt plena periculi implorandum est seriò diuinum auxilium, vt vnctio Spiritus S. nos doceat. Hæc Reginaldus cit.

QVÆRES V.

Quale judicium feret Confessarius de illo, qui putat actum suum, v. g. comestionem frusti panis vesperi die veneris, peccatum in genere, non determinando suam voluntatem ad peccatum mortale vel veniale.

AD decisionem huius difficultatis ex qua plures dissolui possunt, sunt quædam supponenda.

1. *Hominem* vt more humano agat, necesse est, vt actus suos (non disputo hic an dentur aliqui actus indifferentes) puta cogitationes, verba, & opera, non perperam, non temerè, aut inconsideratè; sed juxta rationem ac conscientiam bonis legibus informatam dirigat: decet enim rationalem hominem, nihil velle prosequi, nisi bonum rationale seu honestum, ac r tioni con-

sentaneum ad quod ipsa natura humana (præcisa corruptione peccati originalis) propendet: nam & ipsi Ethnici vanum & belluinum esse judicarunt sectari delectationes carnales, & quæ ad rem non pertinent, quòd & Apostolus ad Ephes. 5. reprehendit. Apertiùs & acriùs Saluator noster, nos hâc de re commonet Matt. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Vbi verbum otiosum explicant DD. quod caret aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis, aut quod sine fructu aliquo, puta necessariæ recreationis proximi, aut subuentionis alicuius, profertur. Sanctus quoq; Paulus ad Rom. 19. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Id est (juxtà doctrinam interpretum) ex dictamine rationis, aut rectæ conscientiæ, nisi vt addunt Theologi indeliberatio vel ignorantia excuset. Vt autem aliquis actus sit meritorius vitæ æternæ, præter dictamen rationis, necesse est, vt fiat in gratia ex charitate, seu intentione ac desiderio placendi DEO, quod Apostolus ab omnibus Christianis requirit, per illa verba, *Quidquid facitis in nomine Domini nostri, in honorem DEI facite.*

2. *Suppono.* Magni momenti esse judicium ac dictamen conscientiæ ad omne peccatum, non tantùm vt sit, vel non sit; sed etiam vt graue sit vel leue: imò ab eo pendet totum; non tantùm cùm conscientia sit eronea; sed etiam cum vera,

vera. *v. g.* putat quis crucem ſtramineam tranſcendere peccatum mortale, & tamen tranſcendit, peccat mortaliter; exiſtimat veniale, venialiter: quia cùm voluntas feratur in obiectum, non vt eſt à parte rei; ſed vt ſibi ab intellectu proponitur (nam ipſa cæca eſt) talem etiam ab illo obiecto contrahit bonitatem vel malitiam; juxta ſcripturam. *Qui adhæret DEO, vnus cum eo Spiritus efficitur. Accedite ad eum, & illuminamini. Abominabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt.*

3. *Suppono.* Cùm in actu quopiam occurrit ratio aliqua dubitandi, vel rationabilis ſuſpicio, ſitnè malum graue vel leue; tenemur ſub peccato mortali, vel illud non proſequi, vel illud examinare, nè nos periculo DEVM offendendi exponamus: qui occurſus (ait Breſſ. lib. 5. Cap. 10.) ordinariè occurrit intelligentioribus; nam rudioribus vt plurimùm nè quidem in confuſo occurrere ſolet vlla ratio dubitandi, vel cogitandi de peccato graui, etiam contra leges naturales, quæ remotè deducuntur ex primis principijs naturalibus, vti ſunt aliquæ detractiones, ſuſurrationes, aſpectus laſciui &c. Nam enormia peccata in quibus clara malitia apparet, facile eorum conſcientias mouere poſſunt, ratione primorum principiorum. *Declina à malo fac bonum. Quod tibi non vis fieri, non id feceris alteri &c. Homini iuxta rationem viuendum, DEVM eſſe colendum &c.*

His præmiſsis: reſpondeo ad propoſitam diffi-

ficultatem, ille pænitens est inquirendus, an per illam comestionem putauerit, vel dubitauerit se peccaturum grauiter uel leuiter? tunc ex sua responsione de peccato mortali vel veniali erit judicandus: ratio patet ex præsuppositis. Quod si dicat se putasse peccatum in communi, tunc censendus est reus peccati venialis, quia peccatum in confusò apprehensum, juxta plures DD. quos citat Bassæus. V. Conscien. n. 39. non excedit peccati venialis limites, præsertim si homo sit timoratæ conscientiæ, paratus, si ipsi rationabilis suspicio suboriretur de grauitate peccati mortalis, relinquere illam comestionem: sin autem malitiosæ voluntatis deprehenditur, vel prorsus negligens DEVM, & suam salutem, est præsumendum contra ipsum, quod se exposuerit peccato mortali &c. Confessarij enim prudentiores (Bress. lib. 5. Cap. 6.) excusant à peccato formali, saltem mortali eos, quos aliundè norunt, teneros conscientiâ & timentes DEVM: etsi constet materialiter peccâsse: secus laxos conscientiâ & peccatis mortalibus assuetos.

Ideò benè præmonet Bress. cit. vt Confessarij (dum ratio subest) examinent pænitentes quâ conscientiâ malum fecerint? & admoneant de nullitate peccati, vbi non est; nè postea peccent in simili, ex conscientia erroneâ. Deinde quia pænitens potest sibi post actum commissum vel omissum formare conscientiam erroneam de peccato mortali, illudq; inutiliter confiteri,

fiteri. E. g. ſpuit aliquis in terram poſtquàm bene deglutiuit hoſtiam Sacram; poſteà ſe reflectens putat ſe commiſiſſe peccatum mortale, quod illo die quo communicauerat, ſpuerit in terram: ſimiliter æger non valens Sacro intereſſe die feſto, arbitratur ſe peccare mortaliter, &c. Iſti non ſunt cenſendi obnoxij eſſe peccato mortali, nec ab eo abſoluendi, quia nullam materiam afferunt: nam voluntas ipſorum non fuit determinata ad malum, ante illam commiſſionem, vel in ipſa omiſſione; per conſequens nullam malitiam contraxit. Vt enim quis reatum culpæ in foro conſcientiæ contrahat, debet primò cognoſcere, vel dubitare, aut rationabiliter ſuſpicari illum actum quem committit, vel omittit eſſe contra legem Diuinam, deindè illum per voluntatem approbare, vel reprobare: aliàs ipſi in culpam non reputabitur. Dixi rationabiliter ſuſpicari; nam ex leuibus ſuſpicionibus non tenetur homo libertatem ſuam agendi relinquere, ac ſe ſcrupulis & perplexitati in ſuis actionibus exponere. Dixi in foro conſcientiæ; nam in forò fori præſumitur contra ſic delinquentem culpa.

Ex his collige primò. Peccata per ignorantiam, inaduertentiam, & obliuionem inculpabilem commiſſa, non eſſe pro peccatis reputanda, quia ab intellectu non ſunt apprehenſa, nec à voluntate approbata. Secus ſi quis aduerteret obligationem diſcendi, conſiderandi, vel recordandi, & voluntariè negligeret, tunc poſtea a-

actus mali qui ex illa ignorantia, obliuione, in aduertentia ſequerentur; culpabiles eſſent. Vnde rudes dum aduertunt neceſſaria ſalutis ſibi omninò addiſcenda, poſſuntq; addiſcere ac negligunt, per illam ignorantiam non excuſantur à peccato. Item Confeſſarij expoſiti pro confeſſionibus excipiendis diuerſi ſtatus hominum, negligentes ſtudium caſuum conſcientiæ. Item Iudices, ſuperiores, alijq; officiales ignorantes obligationes ſuorum officiorum, ſi contra illas delinquant per ignorantiam; rei fiunt culpæ mortalis, vel venialis &c. In contrarium ſi in aliquem cogitationes vindicatiuæ, luxurioſæ, inuidioſæ &c. incidant, non peccat mortaliter in ipſis immorando, niſi poſtquam aduerterit illas eſſe contra legem Diuinam; peccatum enim non in parte interiori animæ, ſed in ſuperiori, quæ res æternas & diuinas conſiderat, committitur juxta DD.

Petes: Quid cenſendum de eo qui in aliquo caſu ita eſt perplexus, vt in quamcunq; partem ſe verterit, quidquid aget vel omittat peccare debeat? *Reſp.* Faciat diligentiam quam poteſt, & vbi minus malum viderit eligat, non quâ malum, ſed quaſi medium neceſſarium ad euadendum peccatum mortale. Quod ſi aduertere non poteſt, vtrum ſit minus malum, vel ſaltem aliqua ſpecies boni, eſtq; vrgens neceſſitas agendi vel omittendi; liberum eſt illi vtramuis partem eligere: nam tunc ratione defectus libertatis non peccabit, quia peccatum adeò eſt liberum, vt ſi liberum non ſit; peccatum non maneat. *v.g.* Opi-

lio putat se peccare die Dominico, siue deserendo gregem, eat ad templum audiatq; Sacrum; siue non eundo, gregem custodiat: nec habet à quo in illa perplexitate consilium petat, tunc ex defectu libertatis censendus est quidquid eligat non peccare.

Dices poterat ille gregem deserere & ire ad templum. *Resp.* quod per hoc non fuisset liber in conscientia ab alia perturbatione, quòd videlicet contra justitiam exposuerit gregem periculo; vnde licet hic fuisset libertas Physica, non tamen fuit moralis, quia (vt supponitur) siue desereret gregem siue non, contra conscientiam æquè videretur incurrere offensam Diuinam.

Non repugnat tamen posse dari talem perplexitatem ratione conscientiæ erroneæ; præsertim in ijs qui nesciunt discernere inter actus ex se intrinsecè vel extrinsecè malos, vel in aliqua necessitate justa nesciunt vti æquiuocatione, vel mentis restrictione.

QVÆRES IV.

An qui ex ignorantia, obliuione, impræparatione, omisit aliquod peccatum mortale, vel circumstantiam necessariam, in confessione: vel non habuit debitum dolorem, aut propositum pro peccatis; inualidam faciat confessionem, eamq; repetere teneatur?

ANtequam his difficultatibus quæ multas anxietates Confessarijs quandoq; pariunt, re-

spondeam, suppono primò ; Confessionem esse inualidam, & iterandam, quotiès pænitens conticuit voluntariè aliquod peccatum mortale, sine justa & legitima causa ; aut non præmisit debitum examen conscientiæ. Item quando non habuit debitum dolorem, id est saltem attritionem supernaturalem, quam Concil. Trid. SS. 14. Cap. 4. uocat donum Dei, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pænitens adiutus viam sibi ad justitiam parat : dolendo pro peccato quatenus est offensa Dei ; sed non ita feruidè & super omnia vt par est, vel illud detestando propter malum æternum, vel temporale, cum respectu ad Devm punientem. Attritio enim naturalis, puta, dum quis dolet ob amissionem bonorum, ob inquietudinem conscientiæ, ob periculum vitæ &c. quæ propter peccatum incurrit, nihil valet, etiam ad pænitentiam informem. Vnde malefactor si talem dolorem pro confessione affert, quod sit *v. g.* capite plectendus, nullum habendo respectum ad Devm, non saluaretur. Ita DD. citati à Bass. v. Attritio.

Item illa attritio, quæ non est vniuersalis; non sufficit : id est dum quis de omnibus peccatis quæ menti factô examine occurrunt, & de alijs commissis, quæ in mentem non veniunt nullum dolorem ostendit : debet enim se extendere supra omnia peccata sicut & contritio. Putata quoq; attritio (bona etiam fide) pro

Sacra-

Sacramento pænitentiæ, prorſus non eſt ſuffici-ens; ſicut ſi quis putaret ſe orthodoxam fidem habere, quâ caret; non juſtificaretur.

Inſuper illa confeſſio iteranda eſt,in qua pænitens firmum & efficax propoſitum peccata omnia mortalia vitandi, & ſaltem aliqua venialia, dum ſola venialia confitetur in ſe non ſtabilit. Vnde & ille timor, quô quis dolet ob metum gehennæ, ſed ita eſt affectus, vt ſi pæna non eſſet, non præcaueret peccatum, reddit irritum Sacramentum: nam non excludit ſimpliciter voluntatem peccandi. D. Thom. 2. 28, 9. 19; ar. 4.

2. *Suppono.* Ignorantiam, obliuionem, dolorem inſufficientem &c. oriri ex triplici negligentia, vt vna ſit leuis, dum videlicet pænitens tantam inquiſitionem circa peccata mortalia præmittit, quantam adhiberet in aliquo negotio graui, vel arduo excitatq; in ſe dolorem ſupernaturalem per gratiam præuenientem, cum propoſito firmo & efficaci ampliùs DEVM non offendendi; nihilominùs aliquem defectum ex humana fragilitate in his committit. Alia negligentia poteſt eſſe grauis, ac mortaliter culpabilis; dùm videlicet aliquis aduertit ſe teneri ad diligens examen, aliaq; requiſita pænitentiæ Sacramenti, attamen rebus alijs ex inordinato affectu diſtractus, vel acediæ deditus, minùs quàm mediocri diligentia ſuam conſcientiam diſcutit; vnde aliqua peccata mortalia non aduertit; vel cognita,abſolutè non deteſtatur propter DEVM;

Tertia

Tertia dicitur crassa & supina quando circa salutem animæ suæ tam segniter agit, vt parum vel nihil censeatur egisse.

De ignorantia igitur, obliuione, impræparatione &c. quæ ex leui negligentia procedunt, certum est quod confessionem non irritent; verùm circa illas quæ ex graui negligentia proueniunt, sunt multæ difficultates apud DD. nam ex parte integritatis, dicunt quidam, quod cum ad valorem confessionis & de substantia Sacramenti, sit integritas formalis necessaria, vt nihil scienter & voluntariè reticeatur; ad hanc integritatem sufficiat, quòd sit per se intenta, quantùm est ex directa voluntate pænitentis, & quod aliqualis diligentia ad eam adhibeatur, quamuis non sit illa tota, quæ præcepta est, etiamsi ob defectum eius peccetur, dummodò defectus, nec sit directè voluntarius, nec summâ quadam negligentiâ; sed solùm communi & ordinariâ, sit culpabilis, etiam culpa mortali. Vnde infert hæc sententia, posse aliquam esse confessionem validam in ratione Sacramenti; & non ad effectum gratiæ justificantis, sed quæ informis maneat sine illa, propter defectum integritatis. Idem asserunt alij ex parte doloris: multi enim ad Confessionem veniunt Spiritu humano; vti propter infamiam, vel ex quadam honestate ciuili, vel quia ita consuetum est fieri &c. qui gratiam quidem non recipiunt propter defectum dispositionis; tamen verè se accusant, & subijciunt se clauibus Ecclesiæ; cum proposito ampliùs non peccandi: Ergo Sacra-

menta-

mentaliter confitentur, & recipiunt Sacramentum pænitentiæ, licet sine gratia. Ita inter alios Nauarus in Man. Cap. 9. n. 13. dicens. Minorem contritionem sufficere ad veritatem Sacramenti, quàm ad eius effectum obtinendum: deindè licet ignorantia vincibilis opponatur gratiæ; non tamen opponitur validitati Sacramenti: nam huic solùm aduersatur ex certa scientia.

Idem quoq; docent quoad propositum: fit enim aliquando, vt pænitens putet se habere propositum abstinendi in posterum à peccatis, qui tamen non habet: nam vel in re non est paratus adhibere efficacia remedia, & vitare occasiones proximas: vel habet tantùm velleitatem quandam, & non perfectam volitionem non peccandi: licet bona fide putet se sufficienter dispositum, & talis potest se verè excusare, non tamen recipere gratiam, quàm postea potest habere; dùm illas res omissas, (non habens aliud peccatum mortale) supplet, expressiùs confitendo, aut magis generaliùs & perfectiùs dolendo, ac firmiùs proponendo.

Ex his colligunt sequentes assertiones. Prima, illos qui ex ignorantia mortaliter culpabili, committunt peccata mortalia, *v.g.* delectationes morosas, pollutiones, tactus impudicos, vltionem iniuriæ, aliquos contractus vsurarios &c. non tamen confitentur, nec dolent, nec proponunt ab his abstinere, quia nesciunt esse peccata mortalia, si tamen scirent, & parati essent illa

confi-

confiteri; excusari possent ab iteranda confessione; & satisfacerent repetendo peccata illa cum dolore & proposito, qui defectus vt plurimùm accidit in pueris, puellis, rusticis, alijsq; rudibus. Idem dicendum de numero & circumstantijs peccatorum omissis ex prædicta ignorantiâ: sufficit enim cognita obligatione illas confitendi, in confessione explicare. *Bassæus V. Confess.* §. 6. *n.* 6. 8.

Eadem ratio currit, si quis ob aliquam causam, bona fide putet, licet fallatur, se non teneri ad confessionem alicuius peccati, quamuis sciat illud esse mortale; vt potest accidere in ijs qui habentes animum ad aliqua Sacra loca peregrinandi, grauia peccata coram suis Parochis reticent, vel nè illos scandalizent, vel quia putant se non posse ab illis peccatis per hos absolui, aut rationabiliter suspicantur se per eos aliquo casu, coram alijs infamandos.

Colligunt secundo, qui in prima confessione culpabiliter prætermisit aliquod peccatum ex ignorantia vincibili, aut etiam scienter; sed in reliquis confessionibus prætermisit bona fide, eò quod nullam de tali peccato, aut de tali omissione cogitationem habuerit facto diligenter examine: aut eò quod in reliquis confessionibus prudenti ratone judicauerit, illud non fuisse peccatum: non tenetur repetere confessiones bona fide factas, sed sufficiet illam reassumere, in qua culpabiliter ex ignorantia vincibili, aut etiam, scienter peccatum commisit, illudq; peccatum

& eius omiſſionem coram Confeſſario cum dolore confiteri. *Ita plures Authores ſentiunt citati à Baſſæo V. ignorantia, n. 9.*

Plus addit Poſſeuinus de pænitentia C. 7. n. 28. quod ille qui præ verecundia omiſit ſciens quidem malè ſe agere, ſed neſciens confeſſionem non valere: tantùm teneatur illud quod reticuit dicere, cum illa confeſſione inualida. Hanc tamen ipſius doctrinam Iacob. Marchan. improbat, dicens: hanc ignorantiam, vt plurimùm non eſſe culpabilem; nam hoc Sacramentum a CHRISTO etiam ad hunc finem institutum eſt (vt docet Bellarminus de pænitentia) vt hic pænitens erubeſcat tam intus apud ſemetipſum de turpitudine & fæditate animæ propriæ, quàm foris apud Confeſſarium de opprobrio, ſeu quod defectuoſus habeatur à Confeſſario: & qui ſe ab hoc pudore ſubtrahit, videtur ob amorem ſui inordinatum quo excæcatur, non ſincerè cum DEO & Confeſſario agere, per conſequens abſolutè inualidam facere confeſſionem.

Colligunt tertiò. Vt ille pænitens qui dolebat pro peccato & habebat propoſitum non peccandi ampliùs, ſed imperfectè & inſufficienter tantum doleat de illa imperfectione illamq; confiteatur, Toletus lib. 3 Cap. 10. n. 3.

His aſſertionibus opponunt ſe alij DD. apud Baſſ. v. Confeſſ §. 5. n. 7. Et quidem quoad integritatem dicunt eam tantùm eſſe formalem, in qua homo nihil omittit peccando mortali=

taliter; siue ex scientia, siue ex ignorantia, aut obliuione culpabili; ac proinde nullam dari confessionem validam & informem ob defectum integritatis. Similiter ex parte doloris, quod hic sit pars essentialis Sacramenti, ideò non potest confici tale Sacramentum, quin recipiatur in subiecto dispositio, & consequenter in illo habeat effectum, atq; ita formatum: proinde istas confessiones esse iterandas. Hæc sententia quia in praxi est securior, ideò optimum consilium censet esse Bass. citatus suadere talibus vt vnam generalem confessionem totius vitæ faciant; tùm vt pluribus scrupulis & fortè sacrilegijs liberentur, tum vt ad maiorem profectum in vita Christiana, maioresq; gratias præparentur.

De ijs autem qui crassâ ac supinâ negligentiâ in suis confessionibus laborant, siue quoad integritatem, siue quoad dolorem & propositum, non est dubium quin illas vtpotè inualidas repetere debeant. Inueniuntur enim aliquando non tantùm inter rudes; sed etiam inter politiores, qui amore sui inordinato, passionibus animi indomitis, concupiscentiâ carnalium voluptatum, nimia solicitudine pecuniæ, & diuitiarum; superbia vitæ in se ipsis corrupti & excæcati; aliquos suos actus, quibus grauiter DEVM & proximum offendunt; pro iniquitatibus non reputant. Vel etiam consuetudine peccandi obdurati, vel nimium de misericordia diuina præsumentes, vel minùs offensam DEI æstimantes peccata mortalia pro venialibus æstimant;

proin-

proindeq; de illis non compunguntur, nec illa confitentur. Quapropter illi qui res alienas, decimas legata, mercedem, aliaq; debita, per plures annos vanis prætensionibus delusi detinent; qui concubinas, odia, proximas occasiones peccandi fouent; subditos opprimunt, qui citò & facilè sine vllo studio emendationis recidiuant, & alij his similes; nulliter confessiones suas persoluunt, etiamsi optimâ fide confiteantur. His enim tantùm vt docet Melchior Cano in Relect: de pænitentia p. 6. bona fides in confessione suffragatur, etiamsi fallantur; qui saltem mediocrem curam animæ suæ gerunt; non autem impijs.

Petes quomodo Confessarius istam crassam negligentiam in pænitente deprehendet. Respondet Nugnus in 3. p. tom. 4. 9. ar. 1. quoad integritatem, si plura peccata pænitenti memoriæ occurrant, quàm ipse sit confessus; examen non fuit sufficiens, & sunt confessiones iterandæ; si autem multò pauciora confessis, tunc satis erit confiteri omissa cum ista negligentia saltem ad cautelam. Item si plura venialia fatebatur, & saltem vnum mortale temerè celauit, tot sacrilegia commisit quot confessiones hoc modo non integras persoluit.

Hîc etiam aduerte dùm Confessarius extrahit per examen ex corde pænitentis aliquod peccatum mortale; quod ille temerè ex crassa negligentia, aut ex pudore erat celaturus, si non

 exami-

examinaretur; pænitentem moneat de innaliditate confessionis, & vt pro ista vel impræparatione, vel præconcepto sacrilegio grauiter doleat. *Baß. V. Conf. § 4. n. 6.*

Quoad defectum doloris & propositi respondet Nauarus, Suarez, Graffius. In quibus per aliquot tempora nullus apparet profectus; de ijs præsumitur, quod ficticium habuerint propositum. Igitur dum Confessarius deprehendit in aliquo pænitente inueteratam consuetudinem peccati; inquirat quanto tempore hoc malum frequentet? An sciuerit dolorem & propositum in confessione adhibendum esse? si respondeat pænitens affirmatiuè, seq; his vsum fuisse, tunc ad cautelam admoneat, vt pro his, & antea confessis, maiorem dolorem ob DEVM offensum eliciat, ac pro tot confessionibus ac sacris Communionibus fortè sine debito dolore ac proposito peractis, animum suum affligat; firmiusq; propositum assumat dignos fructus pænitentiæ DEI auxilio faciendi; sin autem aliquam friuolam excusationem attulerit; *v. g.* Se non esse jure victum de soluendis (quas aduertit debitas) decimis, debere se amicis accomodare, sese ab inimico grauissimè læsum non potuisse illam offensam condonare, plures esse huius farinæ homines in mundo &c. tunc jubeat repetere præteritas confessiones; & si non potest sine scandalo ipsum ad se præparandum remittere, ipse per interrogatoria eum adiuuet; admoneatq; attritionem quæ est sine firmo &

effica-

efficaci propoſito emendationis, etiam cum Sacramento nihil valere

Verùm obijcies cum *Sancio in ſelect. q. diſp. 9. n. 6.* Confeſſarium non habere jus interrogandi pænitentem de conſuetudine peccandi, quia ſi contritus ſit & propoſitum habeat non peccandi dignus eſt abſolutione.

Reſpondet Dianna cum alijs par 1. Tract: 7. Reſ. 15 & 55. quod quamuis pænitens non teneatur explicare conſuetudinem peccandi, niſi oriatur ex occaſione proxima, quàm *vitare* tenetur; poteſt nihilominus Confeſſarius ad dignoſcendum propoſitum pænitentis, illum de conſuetudine interrogare; nam conſuetudo peccandi arguit infirmum propoſitum, & in tali caſu pænitens tenetur illam confiteri, quia Confeſſarius jure interrogat; poteſtq; ſi opus ſit conſuetudinario abſolutionem differre, plus vel minus vt eius prudentia dictabit. Deinde Sancius requirit extraordinaria ſigna contritionis & propoſiti, quæ rarò vel nunquàm in conſuetudinarijs præſertim rudibus, qui minùs valorem diuinæ offenſæ & gratiæ æſtimant, inueniuntur. Inſuper Dianna p. 5. tract. 14. Reſ. 104. addit ex Palao: Sancij hoc dogma bene procedere de Confeſſario vt Iudex eſt: quia tamen eſt etiam medicus, debet medicamentum adhibere ad præcauenda peccata futura, qualis eſt dilatio abſolutionis &c. Quantùmuis enim contritionis & propoſiti ſigna in pænitente agnoſcat, ſemper poteſt juſtè timere non fore remouēdam

occasionem, si absolutionem concedat. Maiora ex Megala: Absolutionem non esse impertiendam concubinario antequam concubinam expellat, etiamsi absit recidiuæ periculum, si adest scandalum vnius vel duorum; idq; etiam in articulo mortis si tempus suppetat; idem etiam procedere; si illa cum non sit, judicatur tamen à populo vt concubina; nam etiam à specie mali cauendum est. Ita cum citatis DD. Dianna.

Certè hic Author multarum grauissimarum difficultatum, summo cum commodo Confessariorum, præsertim qui ex professo Sacris confessionibus passim ad se recurrentium vacant; benignas resolutiones ex pluribus collegit; nihilominùs censente Eminentissimo Cardinali Lugo; potius ab ijs qui stabilia fundamenta in doctrina Casistica jecerunt, quàm ab incipientibus vsurpandus est: ne fortè necessarias circumstantias, quas ipse in multis casibus supponit, minùs aduertentes, grauiùs errent; cùm etiam illi qui ipsum compendiarunt (excepto R. P. Ausonio Noctinot: quanquam & hic consideratè legendus est,) sensum eius non sint assecuti, quos contra ipsemet Dianna in principio suæ primæ partis Lectorem præcauet: deinde ne quis sibi, vel alijs habenas peccandi laxet; in ipso corpore præmonet se perfectionem Christianam in suis resolutionibus non profiteri, sed languenti animæ mederi: demum indicat, vt confessarius pænitenti ante factum illa quæ videntur

dentur vergere in libertatem agendi; non suadeat, post factum non condemnet. Et quidem justissimè, quia natura nostra ex se ad malum prona, potiùs est stringenda, quàm laxanda. Vide hâc de re Laurent. Aponte in Cap. 7. Mart. Digress. 1. satis doctè & zelosè discurrentem.

Petes: quid si Confessarius dubitet de pænitente, an ille ex graui vel grauissima negligentia aliquid substantiale in præteritis confessionibus omiserit, an cum eo debeat omnes repetere. *Resp.* affirmatiuè quia possessio stat pro Sacramento, ne indignè tractetur, & ne pænitens in periculo damnationis relinquatur. Addit *Baß. V. Confeß. §. 5. n. 7.* quod juxta communem DD. sententiam Confessarius mortaliter peccet, absoluens illum, quem contritum, vel saltem attritum non esse certò vel probabiliter sibi persuadet, aut non integrè quatenùs ipsi possibile est confessum. Proindè tenetur Confessarius ante absolutionem talem de hac ipsa re examinare, & si defectum reperiat, pænitentem salubri exhortatione disponere, similiter & pænitens cui constat de insufficientia doloris, aut propositi ad gratiam obtinendam; non potest licitè absolutionem petere, aliàs committet sacrilegium, deficiendo sciens volens in substantialibus Sacramenti: Idem V. Confess. §. 6. n. 8. Cæterùm negari non potest, esse tutiorem sententiam illorum, qui docent, per se loquendo, semper esse necessarium, vt homo bonâ fide accedat

ad Sacramentum pœnitentiæ, putans se esse contritum. Quamuis enim practicè verum sit, attritionem cognitam cum Sacramento pœnitentiæ sufficere, tamen hoc non est de fide certum, & idem falsum esse potest; quia viri maximè sapientes oppositum sentiunt.

Proinde quidam DD. sapientissimè aduertunt, hominem in fine vitæ ex charitate erga se, teneri ad perfectam contritionem procurandam.

---

§. 3.

De quibusdam similibus in ignorantiâ rudium.

QVÆRES I.

Quid faciet Confessarius cum fatuis, semifatuis & Dæmoniacis.

RESP. Bassæus cum alijs DD. In articulo mortis potest Sacra communio administrari amenti & phrenetico, si amentia & phrenesis sit continua; modò antequàm incideret in amentiam vel phrenesim petierit explicitè, vel etiam implicitè, id est piè viuendo, Sacram Eucharistiam, & non sit periculum vomitûs, vel alterius irreuerentiæ. Ratio est, quia hic homo amens vel phreneticus potuit peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantùm attritus, & nondùm perfectè contritus, vnde fieri potest, vt per Eucharistiam efficiatur contritus ex opere operato, & sic gratiam obtineat, & consequenter salue-

saluetur: Nec refert quod necessitas dementati, vel phrenetici possit aliundè suppleri: *v.g.* per extremam vnctionem, vel absolutionem: contingere enim potest, vt neutrum horum Sacramentorum applicari possit; possit autem Eucharistia: vt si jam consecrata sit, & Diaconus adsit, non autem Sacerdos. Imò quamuis Sacerdos adsit, qui illum absoluat & vngat, nihilominùs non est deneganda Eucharistia propter vtilitatem & fructum, qui ex ea percipi consueuit, quia infirmus jus habet ad Sacramenta, & Pastor non potest sine iniustitiâ, per se loquendo, denegare. Si autem amentia non sit perpetua seu continua, expectandum esset donec infirmus haberet dilucida interualla, vt ei possit Sacra communio administrari; nisi necessitas superueniens aliter suaderet. Aduerte autem hic Paulum V. in sua prohibitione Ritualis Romani de communicandis amentibus, loqui tantùm de annua communione, non autem de communione in articulo mortis, in quo jura & Concilia communionem concedunt, etiam non habentibus actu lucida interualla, modò anteà petierint, & nullum sit periculum irreuerentiæ.

Cum energumento qui ita obsidetur à dæmone, vt priuetur omninò rationis vsu, eadem seruanda sunt ac cum amentibus; si autem maneat compos sui, potest prudentis arbitrio, absq; irreuerentiæ periculo communicare; (& si fieri commodè potest præmissis exorcismis ante

commu-

communionem) quia nullo jure probatur huiusmodi obsessum priuandum esse Sacramento Eucharistiæ, cuius ope à dæmonio potest liberari (& de facto, aliqui liberantur) vel certè juuabitur homo, vt patienter & cum fructu laborem suum sustineat.

Tempore Paschatis, & in articulo mortis, habentes imperfectum rationis vsum, vt semifatui, sunt admittendi ad Sacram communionem, si nullum irreuerentiæ periculum adsit: quia hi tenentur præcepto Ecclesiastico: & nullo jure tempore præcepti deneganda est illis Eucharistia. Frequentiùs autem huiusmodi homines ad synaxim admittere, etiam sacerdotes non decet: nisi quatenus prudentia dictauerit, & reuerentia Sacramenti postulauerit. Experientiâ enim compertum est, in istiusmodi, etiamsi petierint, phantasiam tempore communionis variari, (alium enim cursum habet natura, alium gratia) post communionem statim spuere, insulsa proloqui, aliquando in furias verti. S. Eucharistiam eijcere: ideoq; zelus inordinatus promouendæ in ipsis deuotionis vel sanationis, hîc etiam postponendus est, cum DEVS miracula sine necessitate non faciat. Extrema quoq; vnctio quamuis perpetuò amentibus dari non debeat; secus tamen si aliquando sani fuerunt, & hoc Sacramentum petierunt expresè vel tacitè in receptione aliorum Sacramentorum, & probabile sit illos petituros fore si possent. Ita Zambranus

branus de Sacramento extremæ vnct. Cap. 5. D. 2. Qui aduertit in tali casu furiosum resistentem, ligandum esse & fortiter tenendum, seclusis tamen Laicis ad tollendum scandalum. Quòd sanè necessarium foret, si aliud Sacramentum recipere non posset.

QVÆRES II.

Quid cum surdis & mutis agendum.

RESP. Si est solùm surdus totaliter & loquitur (quod potest alicui accidere per morbum, tonitru, aliumuè casum) cum eo per nutus, vel scripturam si nouit, est procedendum. Si surdaster, sola necessaria cum ipso in remotiore loco; cum fæmina autem etiam in patulo, vel non clausis januis tractanda: vbi aliquando cum istiusmodi summa patientia Confessario vtendum est, quando veniunt cum enormibus & intricatis casibus, vel ignari rerum ad salutem pertinentium. Multò faciliùs negotium est; cum muto qui audit, nam potest & tenetur per signa vel nutus confiteri. Idem intelligendum de eo, qui aliquo casu non potest alium habere confessarium, quàm surdum, nullum enim ex hoc sequitur inconueniens. Imò Confessarius dùm vrget præceptum confessionis potest absoluere mutum, si signa doloris ostenderit, etiamsi nullum potuerit ex eius signis peccatum percipere, dùm non est alius Confessarius qui meliùs intelligat. Ita DD. apud Diannam p. 5. tr. 6. Res. 3. 19.

Vnde

Vnde à fortiori dicendum est mutum & surdum á natiuitate posse & teneri communicare, quia tales vt notat Sanchez de Matr. Tom. 1. lib. 4. Cap. 8. n. 12. vt plurimùm perspicacis ingenij sunt, & facile quæcunq; difficilia per signa & nutus percipiunt, quibus & ipsi suos conceptus facilè manifestant. Confirmatur; quia talis tenetur confiteri per nutus & signa; nec minùs difficilia cognoscenda sunt, ad consequendum fructum Confessionis, nam ad confessionem scire debet, quòd peccatum mortale occidit animam, & pro eius eliberatione recurrendum esse ad confessionem, & hanc faciendam esse integram quoad speciem & numerum peccatorum, item cum dolore & proposito ampliùs non peccandi. Ad communionem verò sufficit scire, quod ad illam requiritur confessio mortalium, jeiunium, & deuotio, quæ multò faciliùs sciri possunt quàm prædicta. Solùm esset difficultas de transubstantiatione; sed etiam hæc per fidem æquè cognoscibilis est, ac prædicta, cum æquè reuelata sit à prima veritate; quamuis alioqui difficiliùs naturaliter cognoscatur, quàm quod per absolutionem gratia conceditur. Neq; dicas, quod non eò ipso, quod quis tenetur confiteri, possit & debeat communicare, cum supra dictum sit, pueros teneri ad confessionem & non ad communionem. Nam surdus & mutus à natura, si perfectè secundùm eius intellectum percipiat, quæ geruntur, æquiparatur maiori: vnde non est cum pueris comparandus. Igitur

arbitrio

arbitrio confessarij remitto, quandonam tales sufficientem intellectum habeant ad communicandum. Dian. p. 5. 6. R. 7. Si tamen aliqui sint, qui post diligentem instructionem per nutus & signa, non potuerunt huius Sacramenti naturam & valorem percipere, sunt ab eo arcendi.

His superaddit Bassæus V. Confessio §. 5. n. 5. Confessarius antequàm muti & surdi à natiuitate confessionem excipiat, debet priùs edoceri ab his quibus cum mutus & surdus habitat, quomodo cum illo nutibus agere debeat, vt vim spiritualis Sacramenti aliquo modo percipiat, & aliqua peccata quatenùs potest signis declaret, ad absolutionem accipiendam. Vel si hoc nequit in aliquo casu, qui moram non patitur fieri, tunc Confessarius Socios eius moneat, vt ipsum instruant de valore Sacramenti, atq; ex illis intelligat, si aliquando confessus est, quàm pridem, & qualis eius conuersatio? vt ipsum postea doceant modum piè viuendi, ipsis inculcet, antequàm illius confessionem excipiat, hæc enim nullo modo lædunt sigillum Confessionis, cum extra illud fiant. Idem dicendum de eo cuius idioma ignoratur, quod de muto intelligente; posito quod non sit alius Sacerdos, qui ipsum intelligat. An verò teneatur per interpretem confiteri? variant Authores, sicut de muto per scripturam: in hoc tamen conueniunt; quod si probabiliter dubitat se non esse contritum; tenetur confiteri, tum ex præcepto diuino, tùm ex naturali propriæ charitatis, nè damnationis æter-

næ pe-

næ periculo ſe exponat. Non tenetur autem in tali caſu confeſſionem facere integram materialiter, id eſt omnia quorum meminit dicendo: ſed tacere poteſt illa peccata ex quibus notabilis infamia ſibi vel alteri ſequi poteſt; cùm per interpretem confiteri ſit extraordinarius modus DD. apud Dian. p 3. T. 4. R. 129.

Petes 1. An extra Paſcha & articulum mortis illi defectuoſi poſſint confiteri & communicare? *Reſp.* Id prudentiæ Confeſſarij videntur committere Doctores, certè tempore Iubilæi, aut alicuius Feſtiuitatis dùm conceditur plenaria indulgentia, ſi petant; non videntur eſſe reijciendi.

Petes 2. Quid ſi aliquis ſit ſimul ſurdus, mutus & cæcus à natiuitate? *Reſp.* Præter baptiſmum nulla Sacramenta poteſt recipere. Etiam matrimonium vti docet Sanchez Tom. 3. lib. 1. diſp. 8. n. 12. contra Angelum: Nec extremam vnctionem: ad quam requiritur ſaltem attritio.

Petes 3. Quid ſi æger qui tempore ſanitatis ſolebat confiteri & communicare, exiſtens propè articulum mortis, ex morbo vel ſenio fiat cæcus, mutus, ſurdus? *Reſp.* Si adhuc apparet compos eſſe mentis; ita cum ipſo procedendum cenſerem, vt primò per ſigna ad confeſſionem aliquibus nutibus faciendam adducatur, *v. g.* ipſius manu propriâ, ſignum crucis faciendo in ipſo: pectus eius percutiendo, manus ſurſum jungendo. Vt autem Sacerdotem agnoſcat, admouenda eſt ipſius manus, ad veſtem Sacerdotis, ad ſu-

perpelliceum, & ſtolam: ac de percipiendâ Euchariſtia, per circulum faciendum in ore ſuo edoceatur. Quod ſi Sacerdos prædicta nihil viderit profutura; extremâ vnctione muniendus erit, ſi more Chriſtiano vixit.

QVÆRES III.

Quid cum Idiota Secta Schiſmaticorum aut Hæreticorum?

IStos vt ſupra dictum eſt §. 1. 9. 6. non eſſe ſtatim condemnandos de formali Schiſmate aut hæreſi; nec ſunt in forma Eccleſiæ abſoluendi, ſed potiùs ſicut rudes inſtruendi in rebus fidei & morum, ſerióq; admonendi nè relabantur. Cum verò à Catholicis pro veris Schiſmaticis aut Hæreticis habentur, & ad reconciliationem Eccleſiæ adducuntur, abiurent hæreſim vel ſchiſma, & inquiratur de articulis fidei, de præceptis Decalogi, Eccleſiæ, oratione Dominica, Angelica ſalutatione integrâ; prout ſolet dici à Catholicis, poſt abſoluantur etiam ab illo Confeſſario; qui caret facultate ab hæreſi vel ſchiſmate, poſitô quod formali ſchiſmate aut hæreſi non ſunt infecti; nè ſi fortè ſcrupulosè cum ipſis agatur deſperent, ac retrocedant.

Imò etiam ſchiſmaticus vel hæreticus formalis, poteſt à ſimplici Confeſſario approbato (poſitô quòd non ſit qui habeat, facultatem abſoluendi à reſeruatis) abſolui: docet enim Granadus in 3. par. Contr. 7. Tract: 10. diſp. 7. n. 12. quod ſi alicui non pateat aditus ad Epiſcopum,

aut Papam, vel eorum Legatos, nisi cum magnâ difficultate, mora, aut legitimo impedimento; ille possit absolui à simplici Confessario approbato; cum est necessitas communicandi, celebrandi: cum onere tamen (vt alij addunt) præsentandi se prædictis, cum ipsi dabitur commoditas. Multò magis hoc faciendum si pœnitens præcipitaretur in periculum probabile desperationis: nam tunc reseruatio cessat, cum non sit ad ædificationem.

Hic insupèr notandum, vt quotiès aliquis ex rudibus dicit se hæreticum, inquiratur cuiusnam sectæ sit, nam si sit ex Arrianis parentibus, nec more Ecclesiæ baptizatus; non audiatur eius confessio, sed potiùs ad Baptismum præparetur. Idem examen est seruandum cum talibus, ante contractum matrimonij, vt illud fiat Sacramentum: docuit experientia præfatos casus accidisse.

---

§. 4.

De iuuandis ijs qui per ignorantiam superstitionibus vti solent?

QVÆRES I.

Quomodo cum maleficâ materiali aut formali agendum Confessario?

R*Esp.* Materiales maleficæ siue veneficæ illæ dicuntur quæ implicitum pactum habent cum Dæmone; id est quæ vsurpant illas superstitiones quas à formalibus sagis expressum pa-

ctum

ctum cum dæmone habentibus didicerunt, ipsæ nihil de vlla familiaritate cum Dite cogitantes. Istas DD. propter ignorantiam à peccato mortali excusant, quàm diu de illa iniquitate non edoceantur. Et quia eiusmodi illos suos actus, vt plurimùm in confessionibus cum summo sui periculo subticere solent: ideò Confessarius rationabiliter suspicatus aliquam personam hoc malo laborantem, inquirat more rudibus consueto, an *v.g.* crediderit in aliquas superstitiones, an audiuerit aliqua consilia vel documenta, ad mala circa valetudinem, pecora, segetes auertenda, vel bona augenda? An eis via fuerit? An nimiâ solicitudine vel tristitia pressa Dæmonem inuocauerit? &c. His enim & similibus tempestiuè est obuiandum. Plura enim comperta sunt etiam hoc æuo exempla istarum; quæ primò materiales magæ existentes, postea in formales, ac tandem in Magistras aliarum euaserunt. Ante aliquot annos acciderat, quòd quædam mulier vidua per consilium superstitiosum formalis veneficæ, pecora sua à communi contagione illæsa conseruasset; & quia diabolus per illud tanquam per aliquod præambulum, ad illam mulierem aditum sibi fecerat, ipsam etiam in persona virili sub vespertinum crepusculum inuisit, vtq; in domo eius pernoctaret obtinuit; cumq; hæc iret cubitum, ipse etiam se illi associauit, ac quis esset edixit, nempe se illum esse cuius consilio & opera, sua pecora salua euaserunt: sibi

 consen-

consentiat, se ad consortium sui admittat: hæc DEI oblita ac vano timore perculsa, assensum præbuit, peccatum nefandum commisit, inde Diabolus factus est eius quasi maritus. Et certè ad finem sub iniquâ sua lege miseram detinuisset nisi illa in Claro M. C. (ad quem vice sui mariti defuncti Sacram peregrinationem, frustrà diabolo se impediente susceperat) beneficio D. Virginis per ministerium Confessarij soluta fuisset. Quare deprehendens Confessarius istiusmodi, seriò præmoneat, diabolum pro certo suis hisce vanitatibus sese immiscere, cooperari, ac intrinsecùs plura suggerere, donec visibiliter appareat, clariùs plura edocturus, deinde in grauissima peccata impulsurus per maiorem excæcationem animi & duritiem cordis; ideò protinùs tam inuisibilem quam visibilem Dæmonem perhorrescat, & omnem amicitiam cum eo deuitet; insuper à consortijs suspectarum maximè declinet, sæpius vtatur signo S. Crucis, sacris nominibus IEZVS MARIA, ipsis sese commendet. Formales veneficæ rarò resipiscunt, nam vel pudore, vel timore, vel obduratione, vel minis, quandoq; verberibus, aut promissionibus magnarum rerum in altera vitâ, alijsq; astutijs dæmonum deceptæ, à resipiscentia & confessione peccatorum impediri solent: si tamen Confessarius in aliquam vel in aliquos inciderit, examinet illos ex punctis sequentibus.

1. An intercesserit aliquod pactum cum dæmone? in quo promittant se negaturos CHRISTVM,

STVM, & fidem Christianam abjuraturos. Vel si Diabolum adorârint, actionesq; nefandas ac Sacrilegas erga venerabile SACRAMENTVM exercuerint. Confessarius autem curare debet, vt maleficus dissoluat pactum cum Dæmone, peragendo pænitentiam patrati criminis, & perfringendo chirographum, si apud se habeat, vel eius exemplar.

2. An in tali peccato aliquam hæresim habuerit credendo Sacramenta nihil valere, &c.

3. Quomodo confecerit maleficium, an scilicet ex rebus Sacris, aquâ benedictâ, oleo Sacro, cerâ benedictâ, imò etiam ex Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; & an crediderit illis rebus talem virtutem inesse ad tales effectus: tunc & sacrilegij & hæresis reus esset.

4. An alicui personæ, vel rebus damnum intulerit: quia tenetur ad restitutionem omnium damnorum cum sit causa efficax damni, imò si constet pecuniam à dæmone traditam alicui surreptam esse; Domino restituenda esset.

5. An expressè sacrificauerit dæmoni, vel cum eo rem carnaliter habuerit, vt solent lamiæ & striges, &c. Quamuis autem difficile sit, non tamen impossibile, è potestate diaboli eripere eos quos sibi inito pacto deuinxit; hinc Confessarius magnam adhibere operam debet. 1. Vt cognoscere incipiant hostis infestissimi mendacium, fraudes, & falsa promissa. 2. Vt abiurato diabolo, fidem, ac spem in DEVM concipiant,

qui peccatores omnes ad ſe inuitat, & reuerti volentes recipit: Eximenda enim ipſis eſt perſuaſio, quam multæ Sagæ habere ſolent propter pactum initum, à Dæmone liberari non poſſe. 3. Vt frequentes preces *v. g.* Litanias Sanctorum, & varias collectas, Spiritu fidei feruente pænitens recitet, vel coram ipſo ab altero recitentur. 4. Vt crucis ſigno, imaginibus Sacris, & reliquijs Sanctorum, aquâ benedictâ, & ſimilibus vtatur. 5. Vt Sacramentum confeſſionis frequentet apud eundem Confeſſarium, qui ſtatum illius cognitum habet, vt congruas interrogationes formare, & apta remedia præſcribere ei poſſit. 6. Vt fidei Catholicæ profeſſionem ſæpiùs repetat, & Symbolum Apoſtolicum frequenter recitet.

Quod ſi fortè ad maleficas in carceribus incluſas, vt ipſas DEO reconciliet vocatus fuerit; primò re iſta Chriſto, & Matri ſuæ, Sanctisq; DEI commendata, exhortatiunculam ad ipſas, ſi verè reæ ſunt faciat, compatiendo inprimis amiſſæ famæ, ac periculo vitæ ipſarum; præcipuè autem deperditæ gratiæ DEI, quæ ipſis improuidis accidit: deinde doceat hominem à D. DEO ad hunc finem creatum, vt hîc illum noſcat ſuper omnia, maximi æſtimet, honoret, eiusq; diuinam voluntatem in omnibus faciendo; vitam æternam conſequatur: vbi cum ipſo, in perfecto amore eiusdem perfruatur delicijs ſempiternis. Dæmones, ſummo odio DEVM ex peruerſa ſua voluntate, & ob priuationem cæle-

ſtis

ſtis beatitudinis proſequi; ſummo odio ac inuidia contra homines vt pote imagines DEI, & quod ipſorum loca in cælo, ex quibus ipſi ceciderunt, ſunt occupaturi, ardere; ac per hanc inuidiam mortem, plurimaq; mala in mundum inuexiſſe, modò ex occulto DEI judicio humano generi nocere, donec tandem vltimo ſupplicio poſt diem judicij in inferno totalitèr includantur. Nouerint quòd in Baptiſmo diabolo abrenunciauerint, CHRISTO adhæſerint, fidem in vnum & trinum DEVM profeſſæ fuerint, quod iſtam fidem, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam edoctæ, & cum hominibus Chriſtianis vitam æternam ſperantibus educatæ fuerint: modò autem & DEO & cælo, & ſocietati hominum miſerè renuntiarint, ad hoſtem ſibi infenſiſſimum æternæ damnationi obnoxium deſciuerint. CHRISTVM eſſe paratiſſimum hos errores ſibi condonare, atq; facilè poſſe poteſtati diabolicæ ſubducere, dummodò ſeriò conuertantur. Vnde hic & nunc nihil ſibi à diabolo timentes ſigno S. Crucis ſe muniant, pectus percutiant. Diabolo abrenuntient, CHRISTO ſe ſubijciant, ipſum humiliter deprecentur, per veram cordis contritionem, per ſinceram peccatorum confeſſionem, gratiam expoſcant, &c. Verùm dùm hæc mea reuiderem, incidi in cujusdam anonymi Authoris inſignia documenta mihi oblata, quæ in cautelam Confeſſariorum in libello dicto Cautio criminalis doctè conſcripſit, quæ iſtic meis appono.

Documentum 1. Quando audio, nunc passim ad has causas adhiberi Religiosos, curent eorum superiores, vt eos mittant, qui CHRISTI Domini nostri Spiritu sint præditi, mites, mansueti, deuotiónis laude commendati, judicij accurati, & probatæ prudentiæ in Domino, quiq; animis hominum occupandis, pernoscendis, scrutandisq; cordium secretis, tùm & conterendis peccatoribus operam & experientiam sumpserint: Non impetuosi, nec affectibus seruientes, sed omnia ad libellam rationis & doctrinæ expendentes. Curent etiam per adiunctos eis socios diuersos intelligere, nunquid judicentur imprudenter, aut secus gerere? plurima enim sæpè admittunt nimis quàm corrigenda.

Documentum 2. Confessarij ad Carceres destinati postulent inprimis directionem à liberalissimo Patre luminum, commendent deinde eis animas liberatoris nostri sanguine redemptas, agant deniq; cum reis ipsis suauiter & paternè, vt ad veram eos pænitentiam adducant, seu reas se fassæ sint, seu non sint. Nec de hoc vt fateantur eis primùm facient mentionem sed differant, & priùs ea in genere afferant, quæ ciere contritionis motum possunt: explicent illis cum aliquo affectu & facundia Christianâ, qui noster ille mitissimus sit DEVS, Pater misericordiarum & totius consolationis, qui vel Vnigenito suo pro nobis non pepercit. Adducatur parabola indulgentissimi illius Patris, qui reuertenti Filio suo perditissimo se in collum lachrymans infudit,

dit, & quantùmuis antea peccatis Filij constrictum pectus, in omnem nihilominùs clementiam dissoluit. Non esse DEVM nostrum, qui Dij sunt gentium, qui iras ponere non possit: captum semel incredibili humani generis amore longiùs progressum, quàm vt reuocare amoris sui pacta nunc liceat: Exstare in Diuinis libris pacti æterni juramentum eius irreuocabile per semetipsum. *Quia si fuerint peccata nostra sicut coccinum, quasi niuem tamen dealbanda fore:* sed & Aduocatum apud eum esse Filium eius vnigenitum crucifixum, qui & nouerit figmentum nostrum, & verè causam nostram, quantumcunq; grauissimis criminibus confossam, sua aduocatione erigere, sustentareq; velit, &c.

His & similibus magno studio laborent, singulos ad dolorem de peccatis concipiendum agendamq; seriam pænitentiam inuitare. Neq; enim negare se Legifer noster potest, vt non animos quorumcunq; peccatorum saluberrimâ compunctione frangant viri ij, quos se hominum piscatores facturum, ipse verbis veris pollicitus est: Clarissima verba sunt, & oracula FILII DEI, quibus fidem detrahere, naufragari est in fide. Hâc igitur sponsione subnixi, jus suum sibi vendicent: vsurpent datum sibi ministerium reconciliationis: reducant per contritionem, qui per vitæ licentiam à DEO longiùs aberrarint. Ita enim fiet, vt peccatorum vinculis attritis, mollitisq; animis per colloquia Sanctorum, nihil obstet, quin omne virus non

solùm ad Sacrorum Sacerdotum, sed etiam Iudicum Tribunal faciliùs effundant. Hæc est enim contritionis seu pœnitentiæ natura, vt vbi in animum recepta semel est, obstinatio & taciturnitas (si modo verè rei sunt, quod quærendum non supponendum est) habitare non possint. Optimum hoc & suauissimum torturæ genus est ad vocem soluendam. Hic artem suam exerceant Sacerdotes illi, de quibus supra conquerebar, & si zelum habent, non prius Iudices instigent ad expediendas torturas illas sæuas, & sæpè nimiùm crudeles, quàm ipsi hâc suâ torturâ sacrâ vsi sint, id est: salutari, de peccatis compunctione animos reorum lacerauerint: hîc acuant ingenium & vires suas omnes explicent, vt saxea multorum pectora Diuini sermonis vi, & impetu Spiritûs comminuant. Nec est deniq; quod Sacerdotes probos, & feruentes non paulò plùs docebit, quàm si Iudicum sæuitiam imprudenti instigatione excandescere faciant. Nam inuehere inhumaniter in captiuas & afflictas: identidem illis molestum esse, & quasi certissimo de earum reatu jam constet, nullam eis sinere quietis partem: odiosis cognominibus lacessere: apud Iudices traducere, & similia quæ supra memorata sunt dubio 19. Non est sane quisquam in foro rabula tàm hebes, qui non æquè possit. At verò pertinaciam hanc talem Diuinâ vi sermonis frangere, mollire animos, cor inpænitens compungere nemo potest.

poteſt, niſi manifeſto Dei Spiritu inſtructus.

Documentum 3. Non probo igitur Confeſſarios, qui hoc primum, hoc vltimum, imò ſolùm agere videntur, vt modò confiteantur, rei nil celent. Itaq; non niſi confiteri, & confiteri ingeminant; cæterum autem de conuerſione ſeriâ ad Devm, de dolore animi vehementi, de deteſtatione peccati ſuper omnia vix tenuitèr meminerunt, nedùm vt præcipuum hic conatum & ſollicitudinem adhibeant, quo tales actus tàm difficiles, à peccatoribus & quidem talibus, ſi verè rei ſunt impetrent.

Itaq; dùm confeſſi duntaxat rei ſünt, id eſt omnia peccata ſua ad longum, & enucleatè recitauerint, iam ſalua & tuta ſunt omnia; jam appellant Filios æternæ vitæ, jam verè pæniten-tes moriuntur, quicquid tandem ſit de contritione. Exiſtimo autem ego niſi me Theologia mea fallit, non ita facilè reconciliari poſſe infinitam Maieſtatem, ſed inſigni quâdam opus eſſe ſolicitudine, vt ad vulgarem animi dolorem, preces, gemitus, & clamores cordis cum confeſſione coniungendos.

Documentum 4. Non putant pleriq; expedire, vt Rei antequam in foro externo cauſam ſuam tranſegerint ad internum vocentur, ſed ſuadent eò vſq; hoc differri, dùm in externo omnia liquida ſunt; ita Delrius lib. 6. cap. 1. Sect: 3. atq; vſu fere ordinario recipitur.

Documentum 5. Expedit tamen, vt paulò ante dixi, per viſitationes, & colloquia Sacerdotúm

tum reos disponi ad pænitentiam, compunctionem, & seriam ad DEVM conuersionem, cùm primum fieri potest: id enim profuturum scio, non solùm ad confessionem Sacramentalem, sed etiam profanam, quæ hâc via tutiùs, feliciùsq; quàm per torturas obtinebitur. Et ad Sacramentalem quidem omninò hæc compunctio necessaria est, vt præcedat: Sacramentalis enim esse non potest, nec ad salutem proficua, nisi ex præuia compunctione orta sit: illius hæc filia debet esse, aut esse non potest. Vnde rursum confirmo quod dicebam: id potiùs laborandum Confessario vt conterantur Rei, quàm vt fateantur. Nam fateri quid attinet, ni contriti sunt? si contriti autem, jam spontè sequitur confessio, siquidem sunt Rei.

Documentum 6. Et si amplecteremur sententiam Delrij, docentis, licere Iudici æquiuocatione sermonis, alioue dolo bono reos circumscribere; id tamen fieri à Viris spiritualibus nullatenùs permitteremus.

Ratio est, nè ministerio eorum, atq; ordini inuratur nota, quæ non tàm facilè sæculari Iudici adhærescit. Scio contigisse vt cum Sacerdos quidam Reo cuipiam æquiuocè promisisset mitigationem supplicij, nec eam deinde consequeretur; ita turbatum esse hunc deceptione, vt vix tandem obtineri potuerit, vt ante mortem se extremâ expiaret pænitentiæ purgatione.

Caueat igitur Confessor, vt aliter, quàm fidelem CHRISTI imitatorem decet, in hac re se

gerat;

gerat; ne se deceptum esse quisquam meritò quæratur ab eo, quem DEI fuisse loco agnouit.

Documentum 7. Omninò autem dedecet si viri spirituales, vt nonnullos audio fecisse, suggerant Iudicibus torquendi modos, nisi fortè mitiores. Lictorum hoc non Sacerdotum munus est.

Documentum 8. Sed nec decet si tormentis palam intersint, & spectent: vt benè monet Delrius lib. 6. cap. 1. Sect. 3. propter irregularitatis periculum, vt ipse ait, & scandalum. Sed interim tamen non video, cur non alibi ex occulto ea arbitrari per rimam aut fenestrellam. Ratio, nam aberit & irregularitatis periculum, & scandalum, cum nemo sciat: & verò proderit, vt quàm cruda & periculosa res ea sit, ipsi suis oculis vsurpent. Quodsi concilium Antisiodorense Can. 33. vetat Præsbyteris ac Diaconis ad Trepalium stare vbi rei torquentur, id explicandum putò; vt vetet stare palàm.

Documentum 9. Imò vniuersim non planè negliget prudens Confessarius, vt scire saltèm ruditèr laboret, quàm ritè judiciales processus instituantur. Ratio est, tùm vt secundùm ea prudentiùs possit cum reis in foro conscientiæ procedere; tùm & Iudices, si opus esse videretur, officij commonefacere. Ita nuper totidem verbis religiosi cuiusdam ordinis visitator monuit suos, qui ad carcerem itarent, in epistola quâdam encyclica, quàm quidam eius ordinis Religiosus mihi monstrauit.

Docu-

Documentum 10. Displicuit mihi nuper Confessarius, qui primò suo in carcerem ad quampiam aditu, vt eam tantò meliùs ad confessionem adduceret, denuntiabat ei, conclusum esse apud Iudices de eius morte, faceret igitur officium. Præclara vtiq; beneuolentiæ captatio? Existimo enim Sacerdotem dedecere, vt cuipiam mortis nuntium afferat, neq; id aptum esse medium (nisi fortè in planè impænitentibus ac desperatis quibus alia non profuerunt) ad rectè hominem DEO conciliandum, cum habeam experientia plerosq;, aut saltem multos, etiam alioqui strenuos viros, auditâ mortis denuntiatione, ita vehementèr cōsternari, vt ad adeò præclaras mentis functiones sint inhabiles. Tristia igitur alios nuntiare sinant; Sacerdotes ipsi ea afferant, quæ consolationi esse posśint.

Documentum 11. Laboret autem prudens Confessarius, vt reorum animos sibi potiùs arctiśsimè deuinciat; quòd fiet, si declaret venire se, non vt Iudicem, sed Patrem, qui Personam acturus sit Paracleti in Spiritu FILII DEI. Explicet igitur, quid inter Sacerdotum & Sæcularium Iudicum officium & intentionem intersit: Apud hos si qui reus sit, de pœnis agi; apud illos de condonatione; non esse igitur quid metuant, quin omnem animum penitus aperiant, & quicquid angat, explicent; agant secum fidentiśsimè: non suspicentur quidquam fraudis, non diffidant: se monstraturum esse eis affectum eum, quem fideliśsimus Pater, amantiśsimis suis pignoribus

ribus vnquam poſsit. Condolere verò & compati eorum miſerijs: ſed & tangi dolore cordis intrinſeco, non ſecus quàm ſi propria res agatur: Quod ſi eos adiuuare quâ ratione poſſet, non dubitaturum proprio ſanguine ſubuenire: atque igitur non parum ſibi ægrè eſſe, quod id non liceat, nec niſi ſoli animæ prodeſſe poſsit. Et nunc huic ſanè omni ſtudio conſulturum, nunquàm verò ſe eas deſerturum, ſed vtcunque res cadant affuturum ad extremum articulum; erecturum animos, additurum ſpem, & robur, ne concidant, aut abundantiore triſtitiâ abſorbeantur; & id deniq; omni modo acturum, vt quæri non poſſint, vllum ſibi defuiſſe conſolationis genus. Hæc enim & ſimilia, quæ fidelitatem, & Apoſtolicum Spiritum ſonant, ſi propoſuerit, mirificè ſibi reos aſtringet, vt ad hunc velut charitatis funiculum ſeu habenam duci ſe ſinant, quo libeat prout ſæpè ſum expertus.

Documentum 12. Potiſsimùm verò eos ſecuros reddat, etiam ſtipulatâ manu & ſi opus ſit juramento appoſito, quicquid ſecum vt potè viro ſpirituali, etiam extra confeſsionem locuturi ſint, ne verbulum, quòd ipſis nocere queat, ſeu quod nolint, ad externi fori præſides foras effluxurum.

Documentum 13. Imò & juuerit diſtinctè addidiſſe: quòd quicquam ſecum agant, id nec ſi maximè nocentes ſint, obeſſe eis poſsit; nec ſi maximè innocentes prodeſſe. Si enim nullum cum judicialibus perſonis in his cauſis commerci-

um ſer-

um sermonis esse, nec illos Sacerdotibus in his quicquam credere, aut audire; sed juxta propria jura & ordinem procedere: tantùm igitur se inter eos, & DEVM posse medium intercurrere, & quicquid fiat de corpore id efficaciter agere, vt Spiritus seruetur, & ad illa domicilia perueniat beatorum, quæ cum DEI FILIVS pœnitentibus pollicitus semel sit, & mercatus à Patre, iure iam suo reperi possint à peccatoribus omnibus, etsi altè demersis. Ita dum nec obesse nec prodesse, nisi quoad animam eis posse persuaserit quæ secum secretò communicent, obuiabitur tùm ijs, qui à Confessario iuuarentur innocentes esse vellent, tum ijs, qui & nocentes esse mallent, nè proderentur, & ad torturas reducerentur.

Documentum 14. Doceo Confessarios vt certissimò sciant plurimos esse, qui etiam in ipso Sacramento nocentes se cum non sint fateantur (vt ipse sæpiùs, & alij mecum Religiosi viri maximè nos ipsos conuicimus) idq; ideò, vel quià importuni Sacerdotes sunt, quorum impetum aliter euitare non possint, vel ne in quæstiones repetantur. Sic enim simpliciores multi existimant oportere Sacerdotes, quæ, quomodo à reis audiant, personis Iudicialibus referre, atq; ob hanc industriam eos ad se expiscatum mitti: nec nisi difficulter quidam in contrariam sententiam reflecti possunt, maximè cùm & id eis persuadeant lictores; dùm verentur, nè quómodo sibi prædæ elabantur, si quid reuocent apud Sacerdotes. Miseria hæc est oppido notanda, & inscitia

Iuue-

Juuenum Sacerdotum lachrymis deflenda. Atq; ego quidem qui ſic in Sacramento mentiti ſint, damnare non auſim: quin potiùs excuſari poſſe nupèr docui, ob ſimplicitatem, perturbationem, & ſimilia. Verùmtamen quod & non reuocent, quos complices nominarûnt, & vehementiori hoc conſcientiæ ſcrupulo preſsi, maiore cum dolore (quem quò rectiore causâ, eò feruentioribus pænitentiæ ſignis apud DEVM conteſtantur) decedant; atq; hinc fiat vt tantò confirmatius, & ipſæ tam eximiæ pænitentes, & aliæ ab eis denuntiatæ reæ habeantur. Porrò cum vt dixi multi metuant, vel ex ipſo Sacramento prodi, quid mirum, ſi quando extra illud, cùm ijs Sacerdotes agunt, plures ſunt qui formidant? Itaq; mihi conſtat, nonnullos etiam aliàs prudentes viros magiæ falsò inſimulatos & captos, tùm ob eum metum, quem dixi, tùm quia nihilominùs de ſe actum videbant, nec vllam ſolidam Sacerdotum accedentium conſolationem ſperabant, ideòq; præ deſperatione & ſtomacho loqui ampliùs pro ſe dedignabantur, tùm quia alia ratione declinare nonnullorum importunitatem non liceret, non aliter quàm pro reis ſe apud quoscunq; extra confeſsionem geſsiſſe: ac cum vlteriùs multa rogarentur, omnia conſequenter arguiſſe, & finxiſſe, quæ cœpta ſemel fabula exegiſſet. Quare cum hæc ipſa, deinde ſpirituales illi viri ſimpliciſsimi paſsim ſpargerent, & hinc criminis illius contagionem mirè exaggerarent, quid poterat fieri aliud quàm ita omnes in concepta ſemel opi-

nione

nione de multitudine maleficorum confirmari, vt nemini iam sano de eâ dubitare in posterum liceat? Væ Confessarijs qui committere se rei periculosæ audent, & non plurima cogitatione omnia versant, ac creberrimo gemitu dies noctes DEVM pullant, ad obtinenda consilij & scientiæ dona.

Quicquid fit, animaduertat diligenter Confessarius. Et cùm non aliter apud reos egerit, quàm induta persona Christi: cùmq; eò solùm reos adduxerit, vt ipsi planè confidant, admiranda quædam sensim discet, quæ adhuc ignorat.

Documentum 15. Non solùm autem reos securos reddat de taciturnitate sua Sacerdos, verùm etiam re ipsa eam seuerè colat: Ita, vt neq; quæ extra confessionem cum eis agit, temerè foras exportet: Id quòd ante citatus visitator omnes suos in dicta Epistola disertè quoq; admonuit? Et quidem omninò prudenter. Nam rationes istæ sunt.

1. Sic sæpe incauti quidam, dùm consulere captiuis volebant, nouam eis torturam causarûnt.

2. Irregularitatis sæpe periculum est, cùm facilè garrulitate suâ alioue signo, mortis sententiam efficaciter promouere possint. Sunt enim Iudices pleriq; vt ipse annotaui, & monet quoq; Delrius qui id agunt, vt à Confessarijs signum aliquod captent quô captiui constantes, id est nocentes, innuantur: quòd vbi furtim incautis abstulere (quanquàm nunc suffurari tale quid non sit opus, cum passim insulsi Sacerdotes (absit verbo iniuria) ipsi sponte perfluant rimarum pleni) tùm

ni) tùm demum abruptâ vlteriore hæsitatione ad condemnandum accedunt. Quopacto gloriantem nuper Iudicem audiebam, cùm diceret: se verò nè impingat in neminem adhuc hactenus capitali pœnâ animaduerti jussisse, nisi quem priùs à Confessario intellexisset in culpa versari: satis innuens, quàm efficaciter ad reorum condemnationem Sacerdotes concurrerent. Placet Sacerdos ille, vir mihi amicus, quem cum Iudices subinde rogant, maneat nè hæc vel illa constans, sic enim loquuntur respondere solet: Ego verò inquit, vt quod res est dicam, an constans sit necne, sanè nescio, neq; curo, an fateatur néc ne, an nocens sit, nec ne: nam talis, an talis sit, ad me non spectat, sed ad Iudices. Id autem spectat, vt qualiscunque fuerit tandem, nocens an innocens, bona an pessima, ad cælum eam ducam: id quod Deo adiuuante pro meo munere me facturum spero: de cætero quid me affligam, & mittam falcem in messem alienam? Ita ille, sed ni valde suauiter, & modestè fiat, offendi solent Iudices.

3. Periculum est, ne reueletur interdum sigillum Sacramentale, aut saltem reuelari videatur, quòd omninò omnes maximè cauendum clamant, neq; enim populus distinguit, quid intra, quid extra confessionem acceptum sit. Vt mirari sanè subeat Religiosi illius nuperam prudentiam, qui cum esset ordinarius reorum Confessor (nec de loco, nec de persona rogare volui) publicè de suggestu in magna populi

concione pronunciare ausus est: non esse quod Magistratus vereretur in Sagas acerrimè procedere; sibi enim certissimò constare, nullam adhuc eo in loco ad supplicium ductam esse, quæ culpâ vacauerit. Sic ille. Mihi autem scire lubet, vnde id ei tam certò constiterit. An quia judicio publico damnatæ erant? Sed id scilicet non æquè populo erat notum, nisi & sibi hoc constare concionator diceret? Ampliùs aliquid voluit dicere, & majori certitudine rem firmare: sed hæc ipsa maior certitudo vnde erat? An extra, an intra confessionem hausta? si intra, vbi nunc tandem tam Sacrosancti secreti ratio est? si extra autem, cur id additum non fuit, & occursum suspicioni, ne id dicere sic affirmatè Confessarius non videretur, nisi quid altiùs certiùsq; quàm communi modo cognouisset. Itaq; non parum scandalizatus esse populus dicitur, cùm solum hoc Sacrosanctum Confessarij nomen multorum judicia insigniter & meritò irritâsset. Non tàm ipsum ego Confessarium hunc miror, quàm Religionum superiores, qui hos, tales in res difficiles exponunt, quos quâ sint judicij inopiâ; jam tum vtiq; exploratos habent, aut habere debent.

Documentum 16. Quæri possit quid faciat Confessarius, si (quod impossibile non est, vt vide apud Iannerum) ex confessione vel aliunde cujuspiam innocentiam cognouerit? An indicabit? posset si indicet, periculum enasci reuelandi Sacramentalis sigilli, dùm scilicet alios

quoq;

quoq; audiens de illis taceret: nam innueret tacendo hos igitur non esse, qualis prior: Quod si periculum hoc absit, quia V. G. alios non audit &c. atq; etiam putat non frustra apud Iudicem se laboraturum, nec aliud aliquod incommodum secuturum, vt scandalum magnum populi, &c non video cur non modo non possit, sed debeat curari vt subueniat, ita enim charitas iubet, & ita scriptura: *Erue eos, inquit, qui ducuntur ad mortē, & qui ducuntur ad interitum liberare ne cesses* Prou. 24. 11. Caueat tamen, nè innotescat alijs reis Confessarium pro innocentibus intercedere, nè occasionem sumant hinc sacrilegè confitendi, vt monui docum. 13. Caueat quoq; ne contra Iudices quicquam agat aut dicat, seu ante, seu post mortem reorum, quod eos infamet, aut judicia publica perturbet. Si quid erit, id non apud alios, sed apud ipsos proferat, & moneat, cùm hoc vtiq; Apostolicos viros, non dedecere dicat Apostolus, cùm ait: *An nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia.* 1. Corint. 6.

Documentum 17. Nec minùs quæri possit quid agendum, cum quis alios innocentes denuntiauit tormentis coactus: Res intricata: sic tamen dicendum, seu grauitèr peccatum sit, siue non sit, quod quis tantis tormentis victus, innocentibus culpam afflauerit, hoc tamen certum est, teneri eum vt id reuocet, quàm efficaciter possit. Cùm autem Iudices nihil faciant, (quam rectè ipsi viderint & tu vide infra du-

bit. 40.) reuocationem eam quæ fit à reis post latam sententiam prope mortem; tenebitur vt reuocatio sit efficax reuocare tempestiuius ante latam sententiam, & hoc quidem juxta communem sententiam, etsi metuat, seu prouideat se ad pœnas reuocandum, quia in pari sui & proximi necessitate, rationem potiùs habere debet innocentis, cui fecit injuriam, dùm eum falsâ accusatione iniq; læsit.

Documentum 18. In hoc verò casu, si Titius ob apprehensionem pœnarum adduci non potest, vt sub tanto discrimine palinodiam canat, difficultas existit: dicam quod sentio. Nam

1. Quid si dicat Titius, reuocationem, quàm immediatè ante mortem ablato tormentorum metu facere palam cupiat coram populo, meritò sufficere, quippe quæ æstimatione prudentũm maximi sit momenti, ac proinde de se efficax? quod si verò vitio Iudicum inefficax sit, ac proinde delati non eximantur, id Iudicibus non sibi imputandum.

2. Deindè, quid si Titius tempestiuè in Carcere reuocationem faciat, seu voce seu scripto coram Sacerdote suo, & altero adhuc teste, atq; hic postea, cum euanuit tormentorum metus, id est vel immediatè ante, vel post Titij mortem reuocationem hanc exponat à Titio præsenti animo in conspectu DEI & testium factam? an non hæc saltem sufficiens, & valida censeri debet? & si nondum admittere eàm Iudices velint,

ſint, excuſatꝰ apud DEVM Titius eſt, & illi ſi cōtra denuntiatos procedant, iniqui homicidæ ſunt.

3. Deniq; quid ſi clarè oſtendam Titium feciſſe, quod in ſe eſt, & quidquid tandem ab eo poſtules, non tamen futurum, vt ſemel accuſati vllâ reuocatione exculpentur? Nam quid Titium vis facere? An reuocare tempeſtiuè apud Iudicem, & reductum in quæſtiones, eas conſtanter elicere perſiſtendo in reuocatione, vt habet ſententia communis, & paulò ante dixi? ſed hoc fruſtra: nouit jam imbecillitatem ſuam, ſcit certò futurum, vt quæſtiones eas non toleret, vti nec priore, tolerare potuit: Rurſum igitur dolori cedet & reuocationem ſuam damnabit: ac ſic redibitur quo prius, in eaſdem miſerias: imò tunc tantò amplius accuſati habebuntur nocentes.

Pæniteat igitur & DEO commendet, & reuocet eijs modis quibus poteſt, vt dixi. Si Iudices id non curant, ipſi viderint. Id verò dolendum vehementer, quod cùm plurimæ metu repetendorum tormentorum non audeant reuocare denuntiatas, valde exaggerent Iudices, has vtiq; certiſſimò nocentes eſſe, cùm tam multæ pænitentes ſuper eis mortuæ ſint: quis enim hæc audiens vim magnam non putet in his locutionibus ineſſe? Et tamen quæ vis inſit, ex dictis ſatis patet, & infra adhuc patebit.

QVÆSITA.

Aliquot vtilia circa superstitiones communiter vsurpatas cum suis responsionibus ex Iacob. March. Resol. pastor.

QVÆRES I.

An omnis superstitio sit mortale peccatum?

RESP. negatiuè, nam quædam superstitio quæ est tantùm superflui cultûs, quædam etiam quæ vocatur obseruantia vana, potest esse venialis. Pro qua re aduerte resolutiones casuum sequentium qui sat frequentes sunt, inter plebeios maximè rusticos.

1. Quandoq; præter morem Ecclesiæ ponitur Religio in quibusdam circumstantijs, vel rebus in quibus non est ponenda: *v.g.* in numero, colore, situ, vt tot sint candelæ non plures, tot orationes dicantur, ad singulas orationes candela extinguatur, &c. In his & similibus non videtur plusquam veniale peccatum. Absq; tamen nota superstitionis (vt idem Marchantius cit. & Breff. lib. 5. Cap 27. n. 193. docent) signa aliqua etiam cum certo numero adhiberi possunt, cum spe non quidem certa; sed probabili finem ijs intentum obtinendi, non à Dæmone, sed à DEO & Sanctis.

Ita non est dubium quin licitum sit & pium gestare collo appensas reliquias, & recitare quo-
uis

uis fine, quinquiès Pater & Aue in honorem quinq; vulnerum CHRISTI, seruare octauam, vel etiam nouenam, potiùs quàm septenam, v. g. in honorem nouem chororum Angelorum, similiuè motiuo: celebrare item triginta sacra, quæ dicuntur Sancti Gregorij; eò quod hic tot diebus curârit orari pro defunctis. Simili ratione nulli superstitionis periculo obnoxium est, aliquam specialem gratiam spiritualem, vel corporalem ab vno potiùs sancto petere & sperare, quàm alio, & ab eodem. v. g. B. Virgine, vno potius loco: vt Sichemij quàm alio, &c.

Item non esse omninò illicitam & improbandam piorum ac simplicium consuetudinem, colligendi herbas festo S. Ioannis Baptistæ; eodem vel alio festo secandi jumentis venam; eadem jumenta nouiès circumducendi circum templum S. Antonij; ex primâ pecuniâ oblatâ crucifixo in die Parasceues comparandi annulum, ad sanandum contractionem neruorum, aliorumuè morborum. Quæ & similia superstitiosa essent, si tribueretur vis causis illis naturalibus, non tamen si supernaturalibus, meritis ac precibus Sanctorum, aut si fiant in honorem DEI vt communiter DD. Qui tamen prudenter monent eiusmodi consuetudines abrogandas esse, si facilè abrogari possint, eò quod sapiant superstitionem; si non possint, non esse damnandas, sed simplices docendos, vt ea faciant bona intentione.

2. Obseruatio somniorum potest esse venialis, ratione simplicitatis personæ. Item qui licet fidem adhibere videatur somnijs, putans ob illa sibi aliquid prosperum vel aduersum fore, tamen non firmiter, sed tenuiter credit. Nec propterea aliquid facit, aut omittit, quod sit contra præceptum aliquod DEI, vel Ecclesiæ. Si quis tamen ita deditus esset obseruationi somniorum, aut passim illâ in rebus agendis vteretur, non possit facilè à peccato mortali excusari. Nam Leuit. 21. expressè DEVS prohibet: *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Dæmoni quoq; occasio sese illis intermiscendi suggeritur. Aduerte tamen absq; superstitione & scrupulo fidem aliquando haberi, scilicet probabilem, somnijs, vel profectis à causis naturalibus *v.g.* humoribus: quâ ratione medici colligunt ex somnijs corporis constitutionem, & humorem prædominantem, vel immissis à DEO, Angeloue bono, cuius signum est secura conscientiæ quies, & monitio seu excitatio ad bonum. Contrarijs signis deprehenditur eorum auctor esse dæmon. Vnde sequitur, peccatum esse eâ expressè intentione se ad somnum componere, vt somnijs reuelentur occulta: nam ita velles doceri à dæmone vel explicitè vel implicitè. Vnde in somnijs extraordinarijs est recurrendum pro consilio ad prudentes & timoratos.

3. Qui obseruant dies, credentes hunc esse felicem & tenent tales obseruationes, tanquàm

regulas

regulas vitæ, non excusantur à peccato mortali, saltèm post monitionem. Qui hæc solùm obseruant quandoq; , sed cum tenui fide, non videntur nisi venialiter peccare. Sic Sanchez putat solùm veniale esse peccatum ordinariè, dùm lusores chartarum mutant loca, vt abijciant malam fortunam; quia non credunt id firmiter. Et de similibus similiter judicandum est.

4. Qui obseruant euentus fortuitos, ex quibus coniectant aliquid alicui feliciter vel infeliciter euenturum, peccant vanâ superstitione; sed ordinariè non videtur plusquàm veniale; tum quia fides omninò certa non adhibetur; tum quia à maioribus se ita accepisse dicunt, nec apprehendunt id vt grauè malum; tum quia hæc ad causas sibi ignotas referunt. Sic ex occursu quorundam animalium, felis, vulpis, lupi, solent aliquid indicare felix vel infelix obuenturum: sed sæpè vanissimè & stultissimè.

5. Ad diuinationem quoq; necessarium esse (Bresserus citatus,) vt certiùs vel plùs ex his signis colligatur, quàm naturaliter significatur: nam non est omninò illicita Astrologia naturalis, quâ non prædicuntur futura contingentia, sed naturales inclinationes. Quanquàm etiam circa has, est illa valde fallax, non tantùm, quia difficilè scitu est præcisè punctum cæli, cui natiuitas respondet; sed quia inclinationes aliarum causarum impediuntur. Simili ratione non est omninò illicita nobis Chiromantia, pars physiognomiæ, nisi ex illa prædicentur non tan-

tùm

tùm inclinationes; sed euentus liberi, matrimonium, paupertas, vel diuitiæ. Quare peccant mortaliter ij qui erroneos & vagos homines quos nos Ægyptios vocamus, (alij Zingaros appellant) percontantur, animo ipsis credendi de fortuna & de rebus futuris, quasi ipsi ex corporis lineamentis possint hæc cognoscere. Ratio est, quia cum hæc non nôrint ipsi nisi ex diabolico pacto, & suggestione; illos interrogando huic pacto communicas; & ne quidem causa joci puto hoc facere licitum, cum ipsis datur occasio aut causa ad malè agendum. Isti homines non sunt digni qui in aliquam ciuitatem vel domum admittantur, cùm etiam compertum sit per artem magicam pecuniam ipsos suffurari, templa clanculum ab ipsis expoliari: Multa scelera, tàm virorum quàm mulierum ipsorum. Martinus Delrio Dis. Mag. lib. 4. cap. 3. q. 5. recenset; & justè miratur quomodo Principes istam fæcem hominum in suis terris tolerent.

QVÆRES II.

An licitum sit quod duo inter se paciscantur, vt qui prior defunctus fuerit, alteri appareat, & statum suum aperiat?

RESP. Id ordinariè loquendo non licere, tum quia vel culpa curiositatis hoc vix carere potest; vel quædam etiam DEI tentatio interuenit, dùm volunt scire per media extraordinaria, quid in altera vita alteri contingat. Deniq; quia est periculum ne Dæmon inde capiat occasionem

ſionem decipiendi; non enim infrequenter ſeſe immiſcet his apparitionibus, quæ animarum putantur apparitiones. Quod ſi aliquando legitur factum in hiſtorijs Eccleſiaſticis; vel DEI inſtinctu ſpeciali factum eſt, vel per bonam & ſimplicem paciſcentium fidem excuſandum.

QVÆRES III.

Quomodò diſcernendi ſunt ſpiritus apparentes, an boni ſint an mali?

RESP. Aliquot regulas probabiles à Theologis hîc proponi: primò exemplo Ioſue magna fiducia interrogandus eſt initio, *Num noſter ſit, an aduerſariorum? S. Athanaſius in vita S. Antonij.* An ſit ex parte DEI vel non. Si autem fuerit à DEO, timor vertetur mox in conſolationem & gaudium; ſi verò formido grauis permanſerit, Spiritus malus videtur. Sic Angelorum apparitiones olim primò viſæ ſunt cum aliquo terrore, at poſtea placidos reddiderunt eos quibus apparuêre. 2. Nihil promittendum his ſpiritibus, ſi quidpiam exigant, niſi dicendo ſe priùs velle conſilium inire cum pijs, & maximè cum Paſtore proprio aut Confeſſario; quod ſi diſſuadeat nè cuiquam reuelet, quod communicauit, omnia ſuſpecta ſunt. 3. Si ſuperſtitioſa, aut curioſa, aut falſa, aut contra ſanam doctrinam, aut in ſpeciem mala tibi ſuadere conetur; Dæmonem eſſe judica. 4. Si exhorret ſignum crucis, aut res Sanctas. 5. Non facilè præſumitur bonus Spiritus, qui non in forma

humana, sed belluæ alicuius, aut in extraordinaria aliqua deformitate appareat. Interdum tamen in forma columbæ apparuisse animas legimus, & in illa non apparet Dæmon. Collige etiam dæmonem esse, si immanem strepitum & terrorem & molestiam excitet; nam vix damnatæ animæ sic cerni sinuntur. Gemitus verò & suspiria seruire possunt etiam animabus de purgatorio venientibus; nisi impatientia iuncta sit, vel quid simile, quod damnationem arguat. Quod si nocumentum & damnum viuentibus afferant, censentur potiùs Dæmones esse quàm animæ.

Ex his collige quid dicendum de quadam apparitione (subiungit idem Marchan.) paucis abhinc mensibus apud nos: Puero duodenni pecora pascenti apparuit mulier flexis genibus orans in veste candida, quæ se dicebat auiam defunctam quatuor abhinc annis, & ei planè in lineamentis similis erat, & vt talem puer agnoscebat. Petebat autem fieri duas peregrinationes vnam in vicinia ad Sacellum B. Virginis propè Mariæburgum; alteram ad B. Virginem dictam de fide, propè Dionatum: seq; aiebat voto ad hæc obligari: & addebat proxima Dominica, primam debere fieri, alioqui se quinq; annis adhuc in purgatorio mansuram. Puer indiscretè promisit, se cum matre eas peracturum: Quò non obstante adhuc ei apparet altera vice & die altera; tuncq; multa interrogat de Matre, de auunculis, an maritati sint, an adhuc viuant, &c.

Tertia vice apparens poſt aliquot dies puero offert duo pyra: at vbi ſignum crucis puer jam edoctus fecit, ceciderunt ibi pyra & mox euanuit. Quarta rurſus vice apparuit poſt dies aliquot; at poſt ſignum crucis etiam illicò diſparuit. Itaque licet in candida veſte apparuerit, & quaſi flexis genibus & manibus complicatis orans, ac poſtea non niſi rem bonam, nempè peregrinationes fieri, & miſſam celebrari petierit, tametſi cum ad ſignum crucis bis diſparuerit, & cum pyra præſentârit, quæ & ibidem cecidere facto ſigno crucis & multa curiosè interrogârit; non eſt cenſenda fuiſſe anima purgatorij, ſed deceptio diaboli. Item ſi excitet mentem ad ſuperbiam, vanam gloriam, ad præſumptionem animi, ad deſperationem, vel ad alium minus ordinatum affectum.

Item ſi vbi ſemel præſtitum eſt quod ſubſidij causâ petijt, rurſus quæſitis alijs occaſionibus friuolis redeat; animæ enim vbi ſatisfeceris, vel non redeunt; vel ſemel tantùm, vt gratias agant.

Item ſi blandè accedat, ſed poſtea relinquat mærorem, deſolationem, turbationem animi, tenebras mentis: boni enim Spiritûs eſt illuminare, ſolari, & tranquillitatem animi afferre. Quod ſignum etiam habet locum, & obſeruandum, quando non ſtatim ſe Spiritus prodit vel dicit quid cupiat. Huiuſmodi enim ordinariè pro malignis haberi ſolent, qui non ſtatim indicant, quid velint; præſertim ſi turbent domum,

aliaq;

aliaq; faciant quæ tendunt ad nocendum hominibus.

Aduertant etiam ſedulò curam animarum gerentes ad fallacias & technas dæmonum, quomodo ſe ſoleant teſte Apoſtolo transformare in Angelos lucis: proinde etiamſi initio ſe prodant, vt Spiritus boni ſolent, inquirant de ſecunda, tertia, & ſequentibus apparitionibus, & facilè deprehendent fraudem; non enim diu poſſunt lupi ſe tegere ſub ouina pelle.

Si autem poſt diligentem indagationem apparitio maneat dubia, an ſit à bono vel malo Spiritu? adhibeant remedia & exorciſmos Eccleſiæ ad ſe manifeſtandam.

QVÆRES IV.

Quomodo ſuperſtitio agnoſci poſſit generali Regula in verbis adhibitis in aliquem effectum?

R*Eſp.* Quando verba adhibita, vel aliæ res, non habent naturalem ad id virtutem, ad quod adhibentur, vel ſupernaturalem ex DEI vel Eccleſiæ inſtituto; ſemper eſt pactum ſaltem implicitum cum dæmone. Hinc illi mares vel fœminæ peccant mortaliter poſt ſeriam admonitionem, qui dolorē oculorū, capitis, &c. Siue hominū, ſiue pecudū pecorumuè ſanant vanis ſuis orationibus, ſignationibus, mēſurationibus (non includo hîc noſcentes virtutem herbarum, illasq; per modum medicinæ, ſiue lauacro, ſiue alio modo applicantes) qui curant febres chartulis, qui cribrum vertunt cum nominibus Sanctorum,

ctorum, vel caseo certis literis signato vti jubent, aut specula ex vitro, vel oleo cum fuligine misto inspiciunt, ad deprehendendum furem, qui excantant arma: vtuntur characteribus, &c. Addit Bresserus lib. de Consci. Qui adhibent imagines, Reliquias, signa crucis, preces: quibus supradictis certò confidunt se sanandos & euitaturos pericula, pestem, idq; quamuis adiungantur medicinis, habentibus quidem aliquam sed incertam vim curandi. Prædicta tamen, ex deuotione portare licet, sed sine impertinentibus circumstantijs ac signaturis. Orationes autem si piæ sunt potius recitandæ.

Defendunt hîc aliqui suos errores per occultam sympathiam, aut antipathiam naturalem; verùm id irritô conatu; cùm nec ratione aliquâ, nec longâ certâ & vniuersali experientiâ physicâ id probare possunt: quare in dubijs ad peritos Physicos eosq; bonos Catholicos est recurrendum. Multò minùs ipsis suffragetur opinio ex peruersa Philosophia quæ dicitur occulta, sumpta de familiaribus spiritibus, quasi à DEO in nostrum ministerium missis; à quibus aliquando isti miserimè suffocentur, & ad eos recurrentes damna maiora pro lucro, si quod aliquando reportant, referunt: insuper & excommunicationem maiorem incurrunt.

§. 5.

§. 5.

De remedijs contra maleficia.

QVÆRES I.

Quomodo maleficia sunt tollenda?

NE maleficia maleficijs, quod aliquando inter rudes euenit tollantur; operæ pretium duxi aliqua hîc remedia pro dando consilio per Sacerdotes hominibus maleficio afflictis apponere. Maleficia igitur, præter illa quæ fiunt per puncturas imaginum, assationes certarum materiarum, percussiones saccorum, aliasq; peruersas actiones; vt plurimùm quadruplicia inueniuntur. Quædam enim absconduntur sub liminibus, lectis, vel ipsis lectisternijs, vestibus, aut in ijs locis in quibus homines, vel jumenta solent morari; aut per illa transcendere, aliquando abduntur in puteis, sub cacabis, cadis, ad corrumpendam cereuisiam, crematum; Martinus Delrio (cuius librum sextum suadeo legendum Sacerdotibus prout Iudicibus & quintum Laymanis ac Tannensis de maleficis) recenset quoddam exemplum de defosso in puteo maleficio contra partum cuiusdam fœminæ nè conciperet. Quædam dantur in cibo vel potu ab ipsis maleficis, aut in somno operâ diaboli in hominem ingeruntur. Quædam ex humore aliquo aut liquore confecta; quædam deniq; ex pulueribus venenatis asperguntur in ostia domorum, in habitationes, ac in ipsos homines, per

quæ dæmon juxta pactum cum sagis initum multa mala operatur, ac sensim magis magisq; suam malitiam radicat, vsq; ad totalem obsessionem, vel internecionem hominis, nisi tempestiuè obuietur.

Nè tamen Parochus aut alius Sacerdos in his decipiatur, inprimis non facilè credat, aliquem obsessum aut maleficiatum: nam potest alicuius caput aut corpus melancholiâ, dictâ hypocondryacâ, quam medici paruum dæmonium appellant, plicâ vulgò dictâ Gozdźiec quæ ex aquis infectis, vel vitio natiuo parentum (præter facturam maleficam) alioue noxio humore in stomacho fortiùs hærente, ipsumq; inficiente oritur: aut nimiâ solicitudine, aut phantasiæ apprehensione, alióue morbô extraordinariô, attamen naturali, variari, contorqueri, affligi; præsertim in fæminis propter obstructionem menstruorum etiam in primordijs, aut partûs cruditatem, &c. Potest aliquis per phantasiam minùs bene compositam, vel morbum acriorem multa exotica sibi imaginari, deinde effutire, cum motu furioso, quæ rudes mirantur, illaq; tanquàm à dæmone obsidente excitata pertimescunt.

Deinde videat an appareant signa vera malefici (obsessionis enim faciliùs deprehenduntur) quæ hîc ex Manuali exorcismorum approbato deprompta appono.

1. Si periti medici non cognoscunt morbum vel malum, quô afflictus laborat, nec aliquid

certi de illa nôrint, vel possint judicare, nec remedia conuenientia adhibere: vel si adhibita videantur non solùm non prodesse, sed potiùs malum augere.

2. Quod morbus sit valde inconstans, & licet periodorum naturam referat, rarò tamen periodos seruet; & licet similis videatur naturalibus morbis, in multis tamen discrepet, vt potè quod instar naturalium morborum non crescat paulatim, sed statim ab initio nullis præexistentibus peccantibus humoribus, cum grauissimis symptomatibus & doloribus prodeat: quòd ægrotans emittat luctuosa suspiria absq; manifesta causa.

3. Solent præterea veneficiô læsi habere oculos constrictos, totam cutem, præcipuè faciem, vt plurimum flauo, seu cinereô colore suffusam, humores desiccatos, & totius corporis extenuationem & extraordinariam maciem, virium imbecillitatem cum summo languore. Omnia membra videntur habere ligata & constricta, præsertim cor, & os: videntur sibi habere bolum in orificio stomachi, vel aliquid instar boli videtur in guttur ascendere & descendere. Extraordinarias instar acuum puncturas sentiunt in corde, vel alijs partibus corporis. Aliquando cor illis quasi corroditur, & renes dilacerantur.

4. Solet instar venti frigidissimi, vel etiam flammæ per ventrem aliquibus discurrere cum torsionibus acerbissimis

5. Solent aliqui ad Venerem reddi impotentes præter naturam.

6. Ma-

6. Maleficiati vt plurimùm præter naturam toto corpore extraordinariè extenuantur, & debilitantur cum summo languore, & mentis stupiditate, & varijs melancholicis delirijs. Laborant etiam diuersis febrium generibus, medicis multum negotij exhibentibus: habent conuulsiones ita vt epileptici videantur. Aliquando omnes corporis partes tumefiunt, aut talem circa corpus sentiunt lassitudinem, vt vix se mouere possint.

7. Veneficio affecti sæpè faciem Sacerdotis vix aspicere valent, oculis saltem intentis, & album oculorum varijs modis illis immutatur.

Prudenter & discretè Exorcista desumat indicium veneficij ex signo quod quidam tradunt; nimirùm quod quando venefica ad visendum ægrotum accedit, statim infirmum ingenti molestia affici, terrore & tremore corripi: si puer sit, statim plorare, oculosuè ad fuscum colorem mutare, vel alias mutationes in ægrotis obseruari. Si quando Sacerdos illa signa aduertit, cauebit illa indicare parentibus, aut amicis, aut assistentibus, nè hinc det occasionem malæ suspicionis, rixæ, odij, aut aliorum incommodorum: ipse autem pro discretione sua illis poterit vti in bonum suum finem.

Licet præter prædicta signa sumpta ab effectu, & alia considerare sumenda, à causâ morbi vel mali inflicti, vt si morbus vel malum cœperit ex intensissimo alicuius amore, vel magno vel iniquo odio: si præcedentibus maledictis

vel minis alicuius suspecti de maleficio subitò oriatur; si instrumenta maleficij inueniantur.

Aduertat autem Exorcista, non fore necessarium, vt omnia hæc signa in ægro inueniantur; sed sufficere si aliqua pro diuersitate morbi seu maleficij concurrant, quæ moralem aliquam certitudinem vel magnam probabilitatem dant. Maximè attendet ad judicium medicorum qui licet absolutè non judicent malum esse à maleficio; si tamen de eo dubitent, hæsitent & ambigui animo huc & illuc agitentur, nec quicquam certi de illo nôrint, vel audeant proferre: in remedijs applicandis varient, & nihil solaminis adferant: signum erit esse veneficium operâ dæmonum illatum, modò saltem concurrant alia signa superiùs posita.

Licet Exorcistæ fuerit moraliter certum, aliquem morbum esse à maleficio, vel quempiam esse obsessum non ideò reijcere debet medicamenta naturalia, vel illa dissuadere; sed dando primas spiritualibus remedijs, procurabit etiam, vt afflictus subinde ex præscripto medici vtatur huiusmodi medicinis, quæ corpus eius possunt reddere minùs aptum vexationibus dæmonum: nam licet nulla sit naturalis rei corporeæ vis, quæ dæmoni possit præualere, aut directè in illum aliquid agere, teste Sacrâ Scripturâ Iob. 41. indirectè tamen & mediatè naturalia possunt juuare contra eius conatus, impediendo vel auferendo eius dispositiones illas, quibus dæmon

delectatur, vel vtitur ad nocumentum juxta Lyran. in 1. Reg. 16. Huiusmodi tamen remedijs naturalibus nullo modo se intromiscebit Exorcista, sed illa committet peritis medicis, sed bonum erit vt antequam applicentur vel sumantur, priùs benedicantur ab Exorcista, vel alio Sacerdote, juxta illud Adriani Papæ 1. Elementa quoq; tàm ea quæ prædiximus, quàm cætera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus Sacratè, infirmos curate, & cætera quæ ad vos pertinent diligenter perficite. Bene enim aduertit Sanchez lib. 2. Mor. cap. 24. Maleficiatos per solos Exorcismos raró curari; nam idem experientiâ constat.

Si ergo rationabilis suspicio de absconditis maleficijs subintrat, ipsa in illis locis supra nominatis inquirantur, inuenta statim ne noceant, aquâ benedictâ aspergantur, & extra domum, vel in quopiam loco separato à rebus vtensilibus nè fumô illô inficiantur in vase aliquo (nam in terra nuda ob eius frigiditatem non possunt consumi) cum recitatione orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ & Symboli, cum aspersione aquæ lustralis, vbi non adest Exorcista, comburantúr; reliquum in luto subterretur, nè inde aliqua malefica quidpiam recipiat. Hanc destructionem instrumentorum passim moderni Doctores approbant. Quisq; enim (Bassæus V. Malef. n. 5.) habet jus tollendi & destruendi ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa malefica posita à maleficis eô

fine, vt Diabolus desinat nocere; etiamsi ex ablatione signi malefici aliquod damnum malefico, aut alteri sequatur; eò quod ita dæmon pactum inierit cum ipso malefico; quia ex parte tollentis hæc signa nulla intercedit dæmonis inuocatio vel cooperatio. Imò vt docet Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 6. licet illa ponere, quibus positis expirat vel destruitur pactum prius; & diabolus desinit nocere; vel certe priora signa vim suam amittunt.

Hinc resoluuntur hi casus quotidiani. 1. Si Saga te tangit vt inficiaris, & repercutiendo impediatur nocumentum, id tibi licitum erit; siue quia dæmon statuerit tunc non nocere, siue quia tunc signum veneficæ non est tale, quale ipse requirit. 2. Dum quis est infectus à Saga, dicitur cessare nocumentum, vel reddi inefficax, si infectus det illi panem & salem, vel ab illa panem accipiat; id si verum est, licitum erit: quia cum forte statuerit diabolus his positis non nocere, mihi licitum est aliquid facere, quod sit indifferens, vt eius pactum expiret. Hæc Lessius in particulari, hos casus per modum exempli posuit. Vide plura exempla multùm pro praxi conducentia in lib. 6. Martini Delr. Disquisit. Magicarum.

Petes quomodo cognosci possunt loca in quibus maleficia sunt abscondita? *Resp.* Ipse maleficiatus obseruet in quo maximè loco maleficijs affligitur. v.g. Si in suis stratinis nullatenùs potest quiescere & potest sine dolore in alienis; si

in sua

in sua domo semper ægrotat,& extra fit sanus,&c. Rem breuiter de tali casu, cui præsens aderam affero. Per inuidiam quædam procuratrix allodij Claromontani, subordinauerat Sagam contra sibi in illo officio successorem, vt ipsam impotentem cum suo marito ad omnia faceret, vnde hæc denuo reciperetur. Facturam malam pessimus effectus est consecutus: nam tres dæmones hanc possederunt, ac se per maleficia ingressos edixerunt, quartum autem dæmonem in ipsa domo expectare tempus quô maritum suum obsidere posset. DEI gratiâ, tres illi datis signis per exorcismos expulsi, quartus domi terrores nocturnos excitabat. Vnde domus debuit benedici & exorcisari; sub tempus exorcismorum, illa in qua adhuc maleficia hærebant, orabat Canticum D. Virginis. *Magnificat*; cum cereo Sacro, cumq; peruenisset ad cornu mensæ vbi ordinariè solebat sedere, cæpit repente vociferari, indicareq; se in illo loco graui dolore concussam. Vnde suspicio suborta statim est, nè aliquid ex instrumentis genialibus lateret; vnde in illo spatio terra effossa, vbi terræ exhalationis materia est inuenta, post cum aqua & igne benedictis combusta.

Si autem maleficia sumpta fuerint in cibo, vel potu; contra illa sunt adhibendæ medicinæ, vide Thesaurum Exorcismorum, cum Exorcismis, nè dæmon virtutem illarum impediat; quæ in defectu libri exorcismalis possunt benedici ad instar aquæ; mutato vocabulo aquarum in

nomen elementorum prout habetur in cit. Manuali, hæc autem pharmaca medicus; vel in villis aliquis probatæ experientiæ præparet. Noui quendam nobilem qui sanctè asseuerabat se ad quinq; millia florenorum polonicorum pro recuperanda valetudine expendisse, sine vllo profectu sanitatis, tandem cum deprehendisset, ex maleficio illum morbum sibi accidisse, sumptis benedictis medicamentis, & adhibitis exorcismis per duas hebdomadas sanitatem integram adeptus est.

Contra maleficium ex liquore vel puluere confectum, adhibendum esse lauacrum ex herbis benedictis, vel sale exorcisato tempore congruo; juxta qualitatem complexionis personæ, prout prudentes judicauerint: Item si sint maculæ aut signaturæ; ad illas delendas vtendum est vnguento *v. g.* in villis ex farina albi synapis cum melle viscoso & cremato misto, cui saltèm aqua benedicta vel sal exorcisatum addatur; post vnctionem, & lauacrum signaturæ, loca oleô benedictô inungantur.

Maleficium quoq; quod in liminibus domorum per puluerem construitur, ex quo illud transgrediens acerrimô dolore ad grauem defectum, vel mortem contorquetur; potest tolli in patiente per lauacrum ex herbis vel saltèm sale benedicto paratum, & per vsum olei benedicti tàm in sumptione, quàm in vnctione. Si necessarium fuerit poterunt prædicta aliquoties iterari, præsertim dum sunt maleficia inue-

terata. Fores, limina, vel aliqua pars domûs aliquo modo ex ſupradictis vitiata radatur, & illæ raſuræ cum conſperſione aquæ benedictæ, in loco remoto ab vtenſilibus comburantur, poſtea partes raſæ herbis benedictis lauentur, oleo benedicto vngantur, loca in quibus maleficia deliteſcebant, ſale vel aqua benedicta mundentur, & ſi videbitur terra recenti impleantur. Hæc proportionaliter accomodentur ad deſtruendas facturas circa cereuiſiam, crematum, &c. Vt illa luſtrentur, aquâ benedictâ vaſa benedictis herbis lauentur, &c.

Generaliter loquendo doceantur iſti miſeri, magnifacere res ab Eccleſia benedictas, illasq; adhibere, vti ſunt ſal, aqua, herbæ, thus, frondes palmarum, oleum oliuarum (cuius benedicendi formula habetur in Rituali Romano) cerei Sacri, cera paſchalis, ſeu grana S. Sabbathi: nam non ob alium finem iſta benedicuntur, niſi vt per illa tollatur omnis immunditia, omnis poteſtas aduerſarij, prout in formulis benedictionum clarè apparet, & non recurrant ad Magos aut Sagas, nè fiant iſtis mediantibus diſcipuli, amici aut ſubditi diaboli. Nam ſi ille permiſſu diuinô per illos aliquid boni iſtis fecerit; licet ignorent illud eſſe beneficium diaboli: nihilominùs ille aditum & quodammodo jus ad eos acquirit; cuius rei vtinam nunquam exempla habuiſſemus. Profectò eligibiliora eſſe verbera, quàm beneficia à diabolo præſtita, probant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: Vnde S. Leo

Serm. 19 de passione dicit beneficia diaboli esse nocentiora vulneribus, & Less. lib. 2. cap. 42. dub. 13. n. 71. Omne diaboli beneficium ait esse maleficium.

Deniq; magnam habent vim ad depellenda vel saltèm alleuianda maleficia exorcismi Ecclesiæ. In defectu approbati Exorcistæ, dùm superuenit aliqua grauis necessitas, meo iudicio sufficeret ille solus Exorcismus qui in Agendis nostræ Prouinciæ, contra maleficia cum suis documentis habetur; si aliquoties inter psalmos graduales, aut inter horas officij D. Virginis supra patientem, vel afflicta pecora insimul congregata repetatur. In dubio autem an sit maleficium, Exorcismi debent primò proferri priuatim sub conditione, ac per modum deprecationis ad DEVM, vt ipse per inuocationem nominis sui benedicat recurrentibus ad se: nam exorcisare nihil aliud est, quàm increpare & imperare dæmoni nomine DEI; vnde exorcisatio similis est Iuramento, quod debet non temerè fieri. Charitatiui Parochi poterunt per supradicta multis rudium abusibus obuiare & multa mala non tantùm animæ, sed etiam corporis impedire, DEO adiuuante & suos defectus supplente. Exorcismos supra obsessos ex maleficijs non ausim supra tres horas continuas facere, nè natura per eiectionem maleficiorum violentam; grauiter cum periculo mortis lædatur.

QVÆ-

QVÆRES II.

Quid consilij contra philtra amatoria.

RESP. Cum Manuali. Curabit curam animarum gerens, vt huiusmodi afflicto, vel afflictæ tempestiuè applicentur remedia, tàm naturalia, quàm spiritualia. Naturalia vt per medicinas refrigerantes & imminuentes ardorem libidinis, & per expellentes, sumptum venenum tollant, vel imminuant. Spiritualia, quæ carnem macerant, & doment: qualia etiam sunt vitatio conspectûs rei amatæ, occupatio mentis in curis grauioribus & pijs, lectio bonorum librorum, cogitatio mortis, iudicij & inferni contemplatio, vilitatis corporis humani, quid fuerit ante animationem; quid nunc sit, sublatâ cutis tenuissimæ pelliculâ, quid cum anima recedet, futurum: meditatio deniq; passionis & mortis Domini nostri, & alia quæ mentem ægrotantis auertere à nefario amore possint, & inducere possint sanctum feruorem erga DEVM.

Suadebit ei etiam frequentem vsum Sacramentorum, Confessionis, & Sacramenti Altaris, aliaque pia opera.

QVÆRES III.

Quid contra Incubos?

RESP. Dæmones incubos & sucubos hominibus infestos ex D. Aug. lib. 15. de ciu. Cap. 23. & alijs Patribus cognoscimus, illosq; esse ex numero eorum, qui in isto àëre caliginoso propter exercitium nostrum versantur. Hinc illa fabula,

quæ

quæ inter vulgus fertur; quasi incubus nascatur ex fæmina grauida mortua sepulta, & de sepulchro exeat baptismum requirens, quem si non obtineat, transuolat in àëra, &c. omninò exterminanda est. Hâc enim aliquando dæmon vsus, decepit quandam fæminam, cuius animum viderat contra suam dominam valde exarcebatum, indeque persuasit fingens se ipsius modo supra dicto cognatum, vt ipsam grauissimis maleficijs inficeret suam injuriam vltura; quòd ipsa illo dæmone cooperante strenuè effecit, postea capta, pœnas promeritas exoluit. Verùmtamen non facilè in similibus omnibus fides adhibenda, præcipuè fæmineo sexui, mirabilium formarum in imaginatione susceptiuo. Proinde Exorcista vel curam animarum habens, examinabit hæc, prudenter cum Medicis & Theologis peritioribus. Si constet probabiliter aliquem dicto modo vexari, contra voluntatem suam, adhibebit remedia & Exorcismos. Confiteatur Sacramentaliter frequenter summâ quâ poterit animi contritione, præmuniat se Sacrâ communione, in precibus sit assiduus: inter omnes preces sæpiùs legat Orationem Dominicam & salutationem Angelicam, his enim multos ab hac vexatione liberatos constat varijs exemplis. Alia deniq; adhibeat, quæ superiùs præscripta sunt contra ligaturas, philtra, &c.

Volunt aliqui loci mutationem contra hoc malum aliquid posse: sed potiùs dormitorium & lectus afflicti sæpè benedicenda ordinarijs Eccle-

Ecclesiæ benedictionibus, & rebus benedictis suffumiganda. Videat etiam prudens Exorcista, vtrum hæc afflictio non infligatur à DEO aliquando fæminis, ob nimiam curiositatem in vestibus, ornatu crinium, & similibus, quibus non contentæ, naturali suâ pulchritudine, varijs fucis & medijs student alicere viros in sui amorem. Quod fit DEO permittente, vt fiant ludibrio dæmonibus, quæ nimium gloriantur in suâ pulchritudine. Tales adducendæ ad compunctionem peccatorum suorum, & emendationem vitæ, quæ in posterum ab huiusmodi laqueis abstineant, & se componant ad modestiam, humilitatem, & verecundiam decentem. Simili modo agendum est, cum ijs qui se dæmoni siue per syngraphas, siue alio modo deuouent, eiusque operâ vtuntur; vt isti statim ac veniunt ad Sacerdotem abrenuntient diabolo, per contritionem sinceram CHRISTO se subijciant, & alia præstent quæ sunt posita de formalibus maleficiis. Consultissimum est vt huiusmodi maneant per aliquot tempus penes timoratas personas, vel in aliquo Monasterio.

QVÆRES IV.

Quid cum terroribus nocturnis agendum?

RESP. Hos aliquando vel ab insolentibus hominibus vtriusque sexûs, per certas astutias fieri, etiam cum damno domesticorum, vel à dæmone per cooperationem alicuius personæ, quæ vel cum incubo, vel alio malo spiritu ha-

bet fa-

bet familiaritatem, excitari. Quare præmaturè est res consideranda; & si tales personæ deprehensæ fuerint, vel puniantur, vel expediantur. Si autem à solis spiritibus terriculamenta caussantur, præmissis jeiunijs, orationibus, Sacro missæ officio, adhibitisq; cereis Sacris, Agno DEI, cerâ paschali, suffitu benedicto, aquâ lustrali, palmis, instauretur exorcisatio, in eum modum quem fecit P. Ioannes Gobi Ord. Præd. prout habetur in prima decade quæstionum peregrinorum q. 2. Cap. 4. Is enim vocatus in quandam domum, in qua anima purgatorij noctu pœnas lugebat, post crepusculum vespertinum cum socijs officium Defunctorum recitabat, post strepitu exurgente ita orsus est. *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti adiuro te creatura DEI, per potentiam DEI infinitam, per eius sapientiam ineffabilem, per eius bonitatem indicibilem, per virtutem Sanctissimæ Trinitatis, quibus omnia creauit, per mysterium Sanctæ Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Domini Nostri IESV CHRISTI, per virtutem omnium ordinum Sanctorum, Angelorum, & per omne illud quod DEI virtute te potest plus astringere, constringo & astringo, nè recedas de loco hoc, ad ea de quibus te interrogauero veraciter responsura.* Vbi primò quæsiuit an esset Spiritus bonus vel malus? quis esset? quid vellet? &c. Quibus cognitis illam animam dimisit, & pro illa quæ petebat facienda demandauit, vbi ampliùs illa infestatio non est audita,

Illa

Illa quoq; fabula, quæ inter plebem in aliquibus locis spargitur, quasi mors tempore pestis, plateas aut compita viarum obambulet, est per Sacerdotes si quando deprehenditur comprimenda, idq; potissimum propter pericula furtorum, vel homicidij, aut grandiores perturbationes, quæ ex ipsa oriri solent: Mors enim nil aliud est quàm separatio animæ à corpore. Quod si aliquando istiusmodi spectra tempore pestis appareant, illa non sunt mors sed immissiones per Angelos malos in pœnam peccati factæ, de qualibus scribit Baronius sub Anno D. 544.

QVÆRES V.

Quis modus Exorcisandi circa animalia per maleficia afflicta?

INprimis attendendum, an fortè ex causis naturalibus animalia ægrotent, vt potè ex deuoratis araneis sese pabulo ingerentibus, aut aliorum venenatorum, animalculorum morsu, ex àere præ stabulorum immunditia vitiato, à bufonibus alijsuè serpentibus, qui sæpè dum lac exugunt vbera lædunt.

In iuuandis brutis animalibus maleficiatis, procedet Exorcista, exhortando inprimis patrem & matrem familias omnesq; domesticos ad seriam pœnitentiam & vitæ emendationem, vt cum verâ cordis humilitate & Spiritûs contritione ad DEVM conuersi agnoscant damna hæc ipsis immitti, à bono iustoque DEO propter peccata; inter quæ numeranda sunt iuramenta,

& exe-

& execrationes animalium, ad correctionem & probationem ipsorum.

Quòcirca peccatorum suorum per bonam & salutarem coram Sacerdote confessionem, à DEI misericordia veniam implorantes, meliora serió proponant: & sic in statu gratiæ constituti, in DEI clementia fiduciam omnem collocent; parati se Diuinæ voluntati, quidquid ei placuerit, conformare.

A superstitionibus alijsq; diaboli, & ministrorum eius hominum imposterum fraudibus cauebunt, scientes ab Ecclesia vetari omnia illa quæ non sunt instituta à DEO, vel ab Ecclesia ad consequendos effectus supernaturales. Vnde in colligendis herbis pro alimento bestiarum nullas adhibebunt circumstantias vanas, & ad rem non facientes, sed legent Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, vel Symbolum fidei; expectantes subsidium à DEI misericordia, quâ illos exaudiet suo tempore. Et quia Ecclesia pia & solicita mater, etiam exorcismis & adiurationibus secundùm potestatem sibi à DEO factam, diaboli conatus & insidias repellere studet, & creaturas humanis necessitatibus destinatas non modo in naturalem; sed etiam in salutarem vsum per orationes ac benedictiones sibi iterùm asserat & benedicat; prout videre licet in benedictione salis, aquæ, & similium rerum, quæ in sacratiorem vsum, ab Ecclesia assumuntur, iuxta doctrinam Apostoli dicentis, omnem creaturam bonam esse, & san-

ctifica-

ctificari per verbum DEI & orationem, licet etiam hanc ſanctificationem extendere ad pecora & eorum pabula, quæ quidem quoad præſens attinent, in hoc poſita eſt, vt ad conuenientem & ſalutarem vſum, repurgentur à diaboli fraudibus & nocumentis, nè (quod ſcriptura ait) creaturæ quæ ad commoditatem homini ſubſeruiunt, per inſipientiam fiant decipulæ & captionis laquei.

Formulas Exorciſmorum & benedictionum, nullus Sacerdotum & Exorciſtarum vti præſumat, ſed illas retineat quæ ab Eccleſia in vſum receptæ ſunt, & à veteribus vſitatæ: non tantùm vt tutiores ſimus à ſuperſtitionibus & erroribus alijs; ſed etiam quia efficacior eſt oratio noſtra, quando cum Eccleſiæ precibus viuaciter coniungitur. Ad quam rem confert etiam, ipſa verba ab Eccleſia vſitata, in quantùm fieri poteſt retinere. Hoc negotium potiùs conſiſtit in confidentia ad DEVM, charitate & perſeuerantiâ orandi, exorciſandi, quàm in nouis exorciſmis.

Quæ iam generaliter dicta ſunt, ad particulares vſus facilè applicari poſſunt pro loco & rerum occurrentium neceſſitate. Sed (vt diximus) præcipua cura eſſe debet de apparatu, hoc eſt, vt per veram pænitentiam ad DEVM ex corde conuertantur, qui in afflictione remedia quærunt. Hoc autem dicitur potiſſimùm propter formularios illos, qui diuerſas agendi formulas conquirunt; & ſi per vnam non ſucce-

 dit,

dit, subinde aliam atq; aliam adhibent: tanquam sic in forma agendi principalis virtus collocanda esset, cum multò maior sollicitudo esse debeat de pietate & præparatione ad orandum, quàm de forma agendi.

Absq; scrupulo in omnibus (modò nihil admisceant superstitionis) vti possunt aquâ benedictâ, sale & pane benedicto, ramos palmarum ab Ecclesia benedictos suspendant in domibus & stabulis suis, cereum benedictum in die Purificationis accendant, & in locis infestatis collocent, & similia approbata remedia adhibeant, quorum effectus & vis à DEO est, & expectatur per preces Ecclesiæ fusas in hunc finem.

Hâc breuiter instructione, Exorcista ibit ad stabulum & locum vbi sunt animalia afflicta, dispicietq; nè fortè sint aliqua maleficij signa sub limine abscondita, aut terræ infossa, vel in medio stabuli ad præsepia, eaq; auferri curabit. Quæ cautio nonnullis qui totius stabuli terram ad aliquam altitudinem effoderunt, optimè cessit. Deinde omnibus domesticis ad orationem inuitatis, ipsum stabulum & animalia aquâ benedicta asperget. Postea leget clarâ voce, flexis genibus, si commodè possit, Litanias Sanctorum. Exorcismos vel saltèm illum qui ponitur in Agendis repetendo prout iam dictum est.

Si autem saluis iumentis existentibus lac, butyrum, aliæue res per incantationes inuisibiliter auferuntur: quærantur maleficia sub limine per totum spatium incipiendo à subliminaribus

bus (nam contra oues quia penes illa intrant ibi abscondi solent) ante & post ingressum: ipsa pecora exorcisentur, suffumigentur, oleo benedicto circa vbera iubeantur inungi, cum id non tantùm contra morbos; sed etiam contra facturas diaboli benedicatur.

Optimum etiam medium est ad comprimenda maleficia, vt quotiès alicubi siue circa homines, siue circa pecora manifesta apparebunt; fiat inquisitio à Domino loci, aut eius factore, aut villico, qui primò habeat breuem sermonem ad conuocatos vtriûsq; sexûs subditos; de manifestatis maleficijs, de graui offensa DEI quæ fit per maleficia, de periculo damnorum, &c. Vnde nè vlteriùs malum serpat, veraciter edicant si aliquam de veneficijs vel alijs quæ superstitiones vsurpant, notitiam habeant; *v. g.* Si aliqua persona sit quæ ossa mortuorum, terram ex sepulchris, rorem ex alienis frumentis colligat: quæ signa passionis CHRISTI in campis erecta abradat, illa retrò circumeat, quæ pecorum in campos prodeuntium vestigia colligat, ad cuius domum pecora aliena impetuosè currunt, cornibus petunt, quæ graues & frequentes maledictiones, dæmones inuocando vsurpat, &c. Postea cum assessoribus duobus vel tribus, congregatos sigillatim aduocent, & ab alijs relata annotet; tandem ex allegatis & probatis maiorem vel minorem fustigationem infligat, atq; seriò seuerèq; commi-

 netur,

netur, niſi ab his malis deſiſtant, mortem. Hic modus alicubi optimè ſucceſſit; nam exorciſmi, aliaq; remedia non proficiunt perfectè, quando malefica iteratis vicibus ſua nocumenta immittit, aut ſublata renouat; illum abuſum Parochi alijq; Sacerdotes omnibus modis curent exterminandum, quo Domini aliqui, aut Iudices ex denuntiatione vnius perſonæ, ſine ſufficientibus ſignis, aut juſtis probationibus tradunt denuntiatas ad torturas.

QVÆRES VI.

An ſit licita probatio per aquam quâ aliqui in maleficis indagantibus vtuntur. E.g. dum quas indice fama, vel aliarum depoſitione, aut aliquo ſigno ſuſpectas habent; eas ſtatim absq; vlteriore inquiſitione capiunt, captasq; extra ciuitatem aut pagos deducunt, & in aquam frigidam ita conÿciunt; vt dextra manus ſiniſtro pedi, ſiniſtra verò dextro pedi ſit alligata; & ſi ſupernatat, veneficas vebementius ſuſpicantur, & idcircò duriori ſubÿciunt quæſtioni, ſin ſubmergantur, innocentes eſſe credunt: quæritur ergo an licitè iſtud fiat?

R*Eſp.* Martinus Delrio Diſquiſ. Mag. l. 4. cap. 4. q 4. negatiuè quam doctrinam ſolidis rationibus cum ſufficienti ſolutione obiectorum ſtabilit; præcipuas autem ponit; tentationem DEI, & pactum cum dæmone tacitum. Deinde quia

de quia iſta proba eſt incerta; poſſunt enim veræ veneficæ ex nouo pacto dæmonis demergi; poſſunt aliquas innocentes maleficio tali inficere, vt ſupernatent. Item poſſunt eſſe aliquæ huius ſceleris immunes, talis complexionis, vel ita leues reddi vt aliquando accidit lunaticis; vt non facilè ſubmergantur: prout etiam de effætis mulieribus dicitur, quod non citò aquis obruantur: quo argumento quædam in Cuiauia ſe non ineptè defendit: ſicut (inquit) gallina quàmdiu oua parit, tàm diu multùm grauitat; aliàs poſt leuior redditur; ita vos dum me ſenem fœminam, marcidam, exſuccam aduertitis; inde conijcite quantum poſſum grauitare, vt facilè in aquas deprimar, tàm gracili complexione? Deniq; quia iſte actus fit quandoque contra honeſtatem naturalem, & quod maius eſt, cum periculo iniurioſæ infamationis.

QVÆRES VII.

Quid de Lycantropis.

R*Eſp.* Si ex vitio excedentis melancholiæ, aut læſæ phantaſiæ, aliquis ſe putat eſſe lupum & efferaſcit; medicinis eſt curandus. Si ex maleficijs; exorciſmis, & rebus ab Eccleſia benedictis muniendus. Si ſe talem ob lucrum aliquod fingit (vti aliquando in villis accidit) vel per artem Magicam ſeſe in lupi figura exhibet, ac nocet, deprehenſus grauiùs puniatur. Poſſunt enim dæmones (Leſſ. lib. 2. Cap. 44. de Mag. dub. 3. n. 19.) corpora animalium & ho-

minum transformare; non quidem intrinſecè figuram mutando, ſed extrinſecùs ex vaporibus aliam circumponendo. Sic aliqui operâ dæmonis aliquando conuertuntur in ſpeciem lupi, & dicuntur Lycandropi, quaſi dicas lupi homines: accomodant enim ſe ad ſpeciem beſtiæ, quantum poſſunt, manibus & pedibus incedendo: & diabolus adijcit reliqua, circumpoſita alia figura, ità vt ſpeciem lupi exactè referant: deinde ingreditur, mutat phantaſiam & animum ferinum inducit, quod ei perfacilè eſt, commotis humoribus & venenatis ſuccis adhibitis, deniq; agilitate lupina corpus regit, hinc fit, vt tales inuadant, lacerent, & deuorent homines, vt veri lupi ſolent. Poteſt etiam veram beſtiam (homine repentè ſublatô) ſubſtituere, ita vt ipſe homo oculorum iudicio videatur in lupum conuerſus: quomodo D. Aug. lib. 18. de ciuit. Cap. 18. docet. Socios Diomedis conuerſos fuiſſe in aues; & Iphigeniam in ceruam. Simili modo credibile eſt virgas Magorum conuerſas fuiſſe in ſerpentes: non enim diabolus cauſas naturales virgis applicando poterat tam breui tempore, ex materia tàm diſſimili veros ſerpentes efficere. Poteſt etiam homine conſopito, ipſemet formam beſtiæ aſſumere, & in eo varia miniſteria ſubire, & interim per alium dæmonem efficere, vt ille homo dormiens videatur ſibi in beſtiam mutatus; hæc omnia præſtare. Hoc modo D. Aug. loco citato pu-

tat

tat socios Vlyssis mutatos à Cyrce venefica in porcos: & alios quosdam suo tempore, veneno in caseo accepto à fœminis stabularijs conuersos in iumenta, quæ onera gestabant, quam diu illæ volebant, & postea videbantur sibi in formam humanam reuerti. Deniq; potest hanc mutationem facere nudô præstigiô, sicut enim melancholici & phrenetici videntur sibi mira exterius videre, cum tantùm sint interius, ex qualitate & commotione humoris; ita etiam, operâ dæmonis fieri potest, vt mira exterius videantur vel audiantur solâ humorum agitatione & infectione, hâc ratione potest exhibere palatia, vrbes, exercitus, flumina, incendia, tempestates, fulmina, tonitrua & similia. Hæc pauca pro Parochis quibus aliquando in villis aut oppidis casus præfati Parochianorum occurrunt, vt tempestiuè malis occurrant, dicta esse velim: nam pro illis qui ex professo in curandis energumenis operam suam nauant, datur cautela in Rituali Romano, vt præter illa quæ in ipso ponuntur, plura ex probatis Authoribus vti est sextus lib. Martini Delrio, Tyræus, Compendium Maleficarum, Thesaurus Exorcismorum, &c. discant, ideoq; in synodo Prouinciali Varsauiensi Anno Domini 1646. illa inhibitio consultissimè posita est. Ne quisquam Sacerdotum aut Clericorum tàm Sæcularium quàm Regularium, exorcismis passim super eos qui à dæmonibus obsessi aut maleficiati esse putantur, absq; licentiâ ordinarij in scriptis obtentâ

vtatur. Summâ enim prudentiâ & speciali dono DEI præditum esse oportet illum, qui hoc certamen contra istos malignos spiritus suscipit.

QVÆRES VIII.

Quid faciet Confessarius cum illo pænitente qui venerabile Sacramentum sub cute sui corporis insertum gestat?

RESP. Illas Sacras species nouacula, vel cultro benè exacuato in priuato, scitè exscindat vulnus medulla panis obuoluat, & ad Chirurgum mittat, vel si hic desit, lardô aliquantisper in aqua donec sal extrahatur madefactô, vel emplastrô ex pice & adipe confecto, floccis ex mundo Strophiolo derasis (vti fit in villis) quàm diu ipsemet pænitens opus fuerit renouatis, vulnus illud sibi sanari procuret. Sacerdos autem illas Sacras species, in aliquo honesto strophiolo in ciborio reponit.

QVÆRES IX.

Qualiter rudes instituendi sunt in vita Christiana?

IN hoc etiam crassus error & magnus abusus apud quosdam inualuit; qui ad nullum profectum in Christiana pietate faciendum se obligari putantes, eo tantùm die, quo Sacram communionem percipiunt, à peccatis vtcunq; abstinent; postea verò ex inueterata consuetudine, quàm dediscere nullatenùs volunt, tan-

quàm

quàm canes ad vomitum, ad diras maledictiones, ebrietates, furta, &c. redeunt. Porro scriptum est: facite dignos fructus pænitentiæ: vera pænitentia est commissa deflere, & plangenda non admittere; vnde talibus seriò inculcandum est, vt non agant vitam gentium, aut in his rebus terrenis affectus nimium defixos teneant; verùm vt fideles sint CHRISTO suo cui se pro seruis & discipulis in baptismo despondérunt, quod diabolo & pompis, & operibus eius abrenunciârunt, quòd sola fides non saluet, sed magis charitas per quam abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobriam seu temperatam quoad se, quoad proximos iustam, quoad DEVM piam traducant vitam, sintq; sectatores bonorum operum, per jeiunia, orationes, eléèmosinas seu opera misericordiæ, spiritualia & corporalia; quisq; pro possibilitate sua, in miserijs hujus vitæ expectantes beatam spem. Hanc pietatem Christianam vt in praxim promptiùs deducant, facilè illos Parochus docebit, & oratione Dominica, Symbolo Apostolico, de quo infra.

Actus contritionis si non quotidie, saltèm diebus Dominicis dum dicitur confessio communis post concionem cum proposito emendandæ vitæ eliciant, suos labores non more boum, equorum, vel paganorum, sed Christiano modo principaliter dirigant, ad satisfaciendum voluntati DEI, qui constituit vt in sudore vultûs sui vescantur pane suo. Cætera il-

los

los doceat ex Apoſtolo ad Coloſ. 3. *Obedire Dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis ſui: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem DEI ex animo: cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quod vnusquisq; quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino ſiue ſeruus, ſiue liber.* Eodem ſpectat quod ad Titum 2. præſcribit. *ſeruos Dominis ſuis, ſubditos eſſe in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris noſtri DEI ornent in omnibus.*

Per hanc patientiam laborum, pia crebraque ad DEVM ſuſpiria, (quæ labores minimè impediunt) ac per probitatem vitæ multos idiotas in hiſtorijs Eccleſiaſticis, in magnos Sanctos euaſiſſe legimus. Dominus DEVS enim omnibus qui illum non in ſublimioribus humanæ ſapientiæ conceptibus, ſed in ſpiritu & veritate, in ſpiritu humilitatis & animo contrito inuocant, dat ſuas gratias, prout cuique videt competere, affluenter.

CAPVT II.
De Confeſsione Sacramentali Puerorum.

QVÆRES I.

Qualiter in rebus fidei inſtruendi ſunt pueri?

RESpondeo: vt fructuosè inſtruantur, cum ipſis

exemplo

exemplo Saluatoris qui libenter paruulos ad se admittebat, benignè & suauiter Sacerdotibus est agendum, nè aliquo gestu acerbo territi, doctrinam eorum minùs prompto animo recipiant, & diffidentiam in confessionibus cum periculo reticentiæ contra illos assumant. Vnde ille mos, quô puerulis terror Sacerdotum aut Monachorum incutitur, est reprehendendus; cum illa ætas tenacissima fiat eorum quæ in sua ruditate semel fortiter apprehendit. Porrò in villis est miserabilis, horum quoad Spiritum educatio, & ideò facti etiam adultiores nesciunt, quid sit DEVS, quid Angelus, quid anima; putant totum hominem in morte extingui, totum in sepulchrum deponi, indeque passim secundùm suos affectus belluinos viuunt. Et licet Orationem Dominicam recitent, nihilominùs id faciunt more graculorum aut picarum, quæ nihil eorum quæ loquuntur intelligunt.

Quare hæc ipsorum ignorantia solam à Parochis vel Confessarijs (parentes enim ipsorum aut Socij rudes nihil in hoc valent) benignam informationem in rebus ad salutem necessarijs expectat; præcipuè dum primâ vice ad confessionem adducuntur: nam qualia prima fundamenta doctrinæ & pietatis, præsertim in præparatione ad pænitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum jecerint, tale ædificium per totam vitam, vt plurimùm, continuare solent. Non semel depre-

deprehendi jam adultas fœminas ſe in confeſſionibus de inobedientiâ ſuis matribus non præſtitâ accuſâſſe, quorum matres jam pridem mortuæ erant; cumq; interrogarentur, cur ſe hujus peccati reas facerent: talem (inquiebant) formam confitendi edoctæ ſumus. Sunt etiam aliqui pueri qui peccata, quæ in libris legunt, vel ab alijs audiunt, adferunt ad confeſſionem, quorum minimè conſcij ſunt; ideò per affabiles interrogationes & reſponſiones, illa documenta, quæ pro rudibus grandioris ætatis, ſuprâ poſita ſunt, etiam iſtis proponenda cenſerem.

QVÆRES II.

Quid aget Confeſſarius cum pueris de quibus eſt dubium an habeat annos diſcretionis in ordine ad confeſſionem?

RESP. Quo tempore ad annos diſcretionis perueniant, non poteſt mathematicè definiri; ſed relinquendum eſt judicio prudentûm: Paſtorum & parentûm; qui ſi viderint eos diſcernere bonum & malum, pudefieri de mendacio, de aliqua impudicitia commiſſa, laudare obedientiam, concludent illos ratione vti, quemcunq; annum ætatis attigerint. Proinde errant illi, qui exiſtimant, pueros non peccare mortaliter, nec teneri præcepto confeſſionis, ante decimum annum; cum conſtet eos multò ante eſſe doli capaces, & habere diſcretionem boni & mali. In dubio verò an puer habeat

beat vſum rationis, præſumendum eſt habere, & eſſe obligatum confeſſionis præcep ô, ſi impleuit ſeptennium. Maximâ tamen hîc opus eſt prudentiâ Confeſſario, nam pueri multi etiam poſt ſeptem, octo, & ampliùs annos, præſertim in villis minùs ſunt capaces huius Sacramenti, & licet aliqua peccata adferant ad confeſſionem, fortè ex aliqua inſtructione parentùm eos ad confeſſionem mittentium; tamen Sacramentum pænitentiæ non apprehendunt, vnde aliqua dicentes per modum confeſſionis nugantur circa Roſarium ſuum, vel galerum, vel digitos, vel ſocios circumſpiciunt, nec ità ſeriò ſe gerunt, vt videantur intelligere Sacramenti rationem. Proinde tales non ſunt Sacramentaliter abſoluendi, ſed cum inſtructione & monitione aliqua & benedictione dimittendi. Licet enim peccata aliqua confitentes videantur dare materiam abſolutionis, non eſt tamen ſufficiens materia, niſi accedat ſaltèm attritio ſupernaturalis, de qua vix eſt apparentia in dictis pueris etiam poſt admonitionem, ſeriò rem non apprehendentibus. Si tamen probabilitatem aliquam habet Confeſſarius alicuius diſpoſitionis, abſoluat ſub conditione ſaltem mente concepta. Si tu es capax ego te abſoluo, &c.

Hæc Baſſæus V. Confeſſ. SS. §. 1. n. 4. Laudabile tamen eſt dicit Iacob. Marchan. Reſ. Paſt. Tract. 5. n. 8. tunc eos adducere & monere parentes vt mittant, quia extunc aſueſcendi ſunt huic Sacramento. Præter annuam confeſſio-

fessionem etiam in articulo mortis tenentur pueri præcepto confessionis, in quo si dubium sit de vsu rationis & aliquod peccatum confiteantur, debent absolui sub conditione; nam sic eligitur pars tutior pro salute animæ, & iniuria Sacramenti cessat per conditionem.

Insuper addo cum cit. March. Si quis dum puer esset putâris aliquod peccatum tantùm esse veniale, & ideò omisit confiteri, non tenetur repetere confessiones, sed tantùm illud peccatum exprimere, quia ex imperfecto vsu rationis non fuit nisi veniale licet ex natura sua foret mortale. Quod aduerte ob aliquas puellas vel matronas quæ torquentur, ob impudicos tactus aliquos in ætate quinque aut sex annorum & præ verecundia non audent confiteri; nam ob imperfectum iudicium, plerumq; non fuêre hæc nisi venialia, & ideò non necessario confessioni subijcienda, nisi quod per erroneam conscientiam aliter judicâssent: quod dupliciter potest intelligi, primo cum *v.g.* aliquam impudentiam venialem putabat esse peccatum mortale tamen ipsam exercuit, vel si nullum aut veniale, postea sibi imaginabatur, grauissimum, & præ pudore illud reticebat in confessionibus, ex quo nullæ vel dubiæ in suo valore euaserunt.

QVÆRES III.

De quibus peccatis sunt interrogandi pueri?

RESP. An sciat doctrinam Christianam? De men-

mendacijs, votis, Missa die festo, de inobedientia parentibus, præceptoribus, odijs, rixis, verberibus, inhonestis verbis, factis, lasciuis, damnis illatis, furti, &c. Prouerb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum particeps homicidæ est.*

CAVTELA.

DE peccatis occultis carnalibus cautè interrogandi sunt pueri, & simplices; nè eis manifestetur aliquid quod nesciunt, neue detur illis occasio labendi.

Modus autem inquirendi poterit hic esse. An insultus, aut tentationes carnis aliquando patiantur, & vtrum delectentur tali cogitatione vel consentiant? Si negant subiungendum est: Aduerte magnum esse sacrilegium, injuriam, profanationem Sacramenti, in confessione negare peccatum: nec putare debes Sacerdotem id cuipiam posse manifestare.

Vel etiam inquirat an cogitauerit de rebus inhonestis, vel aliquâ luxuriâ oblectatus fuerit? si negat præmoneat ipsum vt quantocyùs tentationes detestetur & CHRISTO se commendet; si affirmat inquiratur de verbis turpibus, de ludis inhonestis, & cum quo: tandem de aliquo tactu inhonesto: doceatq; omnem luxuriam esse graue peccatum mortale, per quam homo à gratia DEI & à cælo excluditur, & diabolo pro mancipio adijcitur: per hanc ingenij hebetudinem, infamiam, & plura acerba induci, quin

ci, quin & mortem ipſam accelerari. Tempeſtiuè ab hoc malo caueat, nè poſtea ad grauiora quæ certiſſimo euenient, niſi ſe animosè oppoſuerit delabatur. Alterius eſſe naturæ corpus, alterius naturæ animam, quæ debet regere oculos, linguam, iracundiæ motus, & ſeriò deteſtari tentationes carnis. Dùm ſe collocat in lecto, manus per modum crucis in pectore ponat, & in latera alternatim versùs dormiat: ſocios nequam, verba turpia, & omnes occaſiones quàm maximè fugiat. Si vult gratiam DEI, & ſalutem animæ & corporis obtinere.

Adultiores autem doceat luxuriam extra Matrimonium ſemper eſſe peccatum mortale, & veneno diabolico infectam: tentationes eſſe cum abominatione & contemptu tolerandas, & contra ipſas perſeuerandum; cupiendo puritatem omnimodam: perinde enim eſt, diabolo viſibili ac inuiſibili ſe ad hoc peccatum inducenti morem gerere, vnde potiùs mortem eligat, quàm malo conſentiat: Dominus DEVS humiliter oranti, dabit victoriam.

Si habet animum vxorem ducendi, nullatenus ad aliquam carnali concupiſcentiâ feratur, niſi contracto matrimonio, idq; cum DEI timore: modò autem contineat ſe in omni honeſtate. Puellæ quoq; monendæ, vt dum ſolicitantur etiam iocosè ad peccatum; ſeriò & ſeuerè etiam cum increpationibus grauioribus ſe tentatoribus ſuis opponant ſtatim in principio; nè poſtea ſenſim illicijs ſeductæ ſeriò doleant.

Porrò

Porrò Confessarius non debet denegare absolutionem adolescenti, qui sæpiùs in mollitiem incidit carnis fragilitate, potest tamen differri absolutio, vt cùm maiori abominatione hoc vitet peccatum Basl. V. Absol. n. 9. & dare ipsi remedia contra hunc morbum, vide modos seruandæ castitatis in libello Arma lucis, à me edito.

QVÆRES IV.

In qua ætate pueri obligantur ad S. Eucharistiam tempore Paschali recipiendam?

REspondet Marchan: tract. 4. Cap. 3. q. Quod hæc determinatio temporis non possit indiuisibiliter designari, sed in eo sequendum parentûm & Confessariorum judicium. Dici tamen potest moraliter loquendo, nec ante decennium facilè incipere, nec vltra annum decimum quartum differri. Non statim verò ac pueri attingunt ætatem, in qua licitè possunt communicare ad id obligantur vt notant DD. sed post aliquod tempus *v. g.* post vnum vel alterum annum: ratio est quia congruit, vt Ecclesia non obliget hîc quàm primùm potest, tàm pro maiori reuerentia Sacramenti, quàm pro securitate communicaturi, & hoc ipsum vsus Ecclesiæ approbat. Quare non sunt hîc recentiores nonnulli citati à Dian: in Addit. Res. 19. audiendi qui volunt pueros mox à septennio obligari ad communionem, eisq; dandam sicut & pænitentiæ Sacramentum, quàm primùm peccare possunt mortaliter. His illud Apostoli reme-

moro. *Si quis hac in re contentiosus esse velit, nos tales consuetudinem non habemus, nec Ecclesia DEI.* Ad silentium imponendum sufficere deberet, quod Rituale Romanum jussu Pauli V. editum sic habeat. *Illis qui propter ætatis imbecillitatem, nondum huius Sacramenti notitiam & gustum habent, non debet ministrari.* Nota illud notitiam & gustum; & vide an septennes pueri notitiam & gustum huius Sacramenti ordinariè habeant.

QVÆRES V.

An pueri possint extremam unctionem suscipere?

RESP. Post adeptum vsum rationis vngi possunt, non enim exspectari potest tempus communionis, quia maior discretio requiritur ad communionem quàm ad hoc Sacramentum. Imò si dubium sit num in puero lumen rationis irradiet, vngi debet sub conditione. *Si es capax, &c.* Neq; verò necesse est, vt hoc Sacramentum suscipiens aliquando peccauerit, quia materia huius Sacramenti, non sunt peccata sicut pænitentiæ. Vnde satis est quod infirmus peccare possit. Igitur non est illud denegandum puero post vsum rationis, quem Parochus ex confessione cognoscit nunquàm actualiter peccâsse: quia juuare illum potest nè peccet, & conferre sanitatem si expediuerit: nec falsificabitur forma. *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.* Nam sensus est: *Conferat tibi DEVS gratiam de se remissiuam, &c.* Ob quam rationem non falsificabitur forma ab-

ma absolutionis cum confertur ei qui iam est in gratiâ per contritionem; nec ob eandem rationem deneganda est vnctio recenter baptizato, qui nullum post baptismum peccatum commisit. Ita DD. apud Dian. p. 3. T. 4. R. 172. & p. 5. Tr. 3. R. 86.

QVÆRES VI.

An pueri subiaceant reseruationi casuum & censuris Ecclesiasticis?

RESP. Impuberes id est pueri ante decimum quartum annum mares, fæmellæ ante duodecimum, reseruatione Episcopi non comprehenduntur, nec ligantur censuris ab homine, vel iure statutis: exceptâ percussione Clerici (à qua vel per ignorantiam possunt excusari, vel ob leuitatem materiæ, vel ob primum motum choleræ, à qua iuxta Scotum potius sunt acrioribus verberibus absoluendi) nec irregularitate ex delicto. Ita DD. apud Diannam pluribus locis. Datur ibi hæc ratio; nam in pueris relinqui solet esse inultum, quod in alijs prouectioris ætatis humanæ leges dicunt seueriùs puniendum: minor enim ætas sicut in foro exteriori excusatur à pœna ordinaria, ita & in animæ judicio.

QVÆRES VII.

An pueri excusentur à ieiunio?

RESP. Excusantur etiam pueri imò & adolescentes, vsq; ad finem tertij septennij; ita vniuersalis consuetudo præceptum hoc interpre-

 tatur.

tatur. Quia cum vsq; ad ilud tempus magnis incrementis augescat corpus, eget copioso alimento, vnde sæpiùs capere cibum debent, ob abundantiam caloris, nè accretio & perfectio naturæ intercipiatur. Vnde Ecclesia non intendit eos obligare, quia non obligat ad ea, quæ nimis onerosa sunt, & excedunt moralem potentiam, etiamsi alioquin futura sint vtilia, vt esset jejunium pro motibus carnis coërcendis, qui alio modo superari possunt etiam ante vigesimum primum annum, quia non intendit omne, quod vtile est, sed vult etiam, quod non sit nimis onerosum. Ita D. Thomas, Syluius, Nauarrus, Sancius, Lezana, &c.

Tenebuntur tamen pueri & adolescentes ante vigesimum primum annum jejunare volentes lucrari Iubilæum, sub onere jejunij concessum, vel si à Confessario imponatur pro pænitentia Sacramentali jejunium (quanquàm hoc illis ob sigilli Sacramentalis violationem cautè imponendum) vel ob placandam iram DEI, ob implorandum diuinum auxilium in aliqua graui necessitate: in his enim casibus vrget specialis ratio, ob quam non debet excludi illa ætas. Ita Sanchez, Pasqualigus, Sancius, Fagundes.

Certùm est etiam apud omnes, quod pueri post septennium adepto rationis vsu, obligentur ad qualitatem ciborum, ita vt non possint cibis in die jejunij vetitis vesci: quia præcepto negatiuo de non comedendis carnibus in die jejunij, tenentur homines, postquam ad rationis vium

vſum peruenerunt, niſi aliâ iuſtâ de cauſâ excuſentur. Dubium tamen eſt, an liceat pueris miniſtrare carnes, quando prohibentur, antequam ſeptennium compleuerint? Reſpondet negatiuè, vbi non eſt conſuetudo. Lopez Syluius, quia debet erga ipſos ſeruari praxis Eccleſiæ. At licitum eſſe, ijs miniſtrare carnes, ſiue adſit conſuetudo, ſiue non, docent Sancius, Dianna, Caſpenſis, Fagundes, & alij ab ipſis citati: & à fortiori oua. Ratio eſt quia cum paruuli ante ſeptennium nulla obligentur lege, nec etiam obligantur conſuetudine, quæ habeat vim legis. Tum, quia nec ipſi comedendo peccant, neq; talis ſubminiſtratio interdicta eſt; quia non fit in actione, quæ ſit eis aliquo modo prohibita, ſed in actione honeſta & de ſe bona. Hæc ſententia eſt probabilis. Ob eandem rationem licet miniſtrare carnes, in diebus prohibitis, infidelibus, non tamen Hæreticis, vt notant authores relati, quia infideles non ſubſunt legibus Eccleſiaſticis, tanquam ij qui ſunt extra Eccleſiam: vnde non eſt illis prohibitum comedere carnes, in quacunq; die, & proinde miniſtrans non concurrit ad aliquid illicitum. Ex qua tamen ſententia non infertur, licere perpetuò amentes vel pueros carentes rationis vſu prouocare ad turpia inter ipſos exercenda, vel ad aliquid aliud, contra legem naturalem: quia illa actio: cum ſit intrinſecè mala ex natura ſua, omnibus ijs eſt prohibita: quamuis ob defectum rationis, & diſcurſûs, culpa illis non imputetur.

Verùm licet Ecclesia non obligauerit adolescentes ad ieiunium ante vigesimum primum annum, nihilominùs Confessarij, aut alij quibus adolescentûm cura demandata est, debent eos inducere ad ieiunium, prout expedire indicauerint; vt incipiant asuescere ieiunijs & turpes motus, carnis illecebras comprimant, vt monet Sancius in selectis disp. 54 n. 7.

QVÆRES VIII.

Qualiter pueri in vita Christiana instituendi?

RESP. Stylo simplicissimo illos esse instruendos, & ab istis sensibilibus ad spiritualia eleuandos, *v.g.* doceatur puer DEVM supremum esse, totius mundi Dominum, qui cælum, terram, solem, diem & noctem, creauit & regit, qui fulgura, tonitrua, & casus aduersos in malos immittit; sciat hunc principalem esse suum Patrem & benefactorem, à quo accepit hanc vitam, hos oculos, has manus, intellectum, & alias potentias animæ & corporis, sine quo nè vnum punctum potest viuere. Sciat quod non debeat sibi viuere, sed DEO, prout in baptismo promisit, cum per suos patrinos renunciaret diabolo inimico suo, pompis eius, & operibus eius, & adhæsit totaliter DEO, cùm diceret: Credo in DEVM. Et ideò non secundùm malas suas propensiones, vel tentationes diaboli, qui sibi cælum maximè inuidet, viuat; sed secundùm legem DEI, quam sibi in corde suo inscripsit: vi-

deli-

delicet. Declina à malo & fac bonum. DEVM & quæ DEI ſunt ſuper omnia æſtimet. Quòd tibi non vis non id feceris alteri; & contra, quod tibi vis fieri, &c. Homini non ſecundùm belluinas concupiſcentias, ſed ſecundùm rationem viuendum, & ſecundùm præcepta Decalogi, & alia quæ ex Decalogo inferuntur. Sciat CHRISTVM Dominum FILIVM DEI ſe expectare in cælo: vnde ſe illi per pia ſuſpiria ſæpiùs commendet ſaltèm in corde dicendo. Domine IESV miſerere mei, per paſsionem tuam. Sanctiſsima Mater ora pro me. Manè antequam quid agat, priùs ſe ad orationem Dominicam conferat, ſimiliter antequam decumbat: deniq; malit mori quàm apud DEVM per aliquod peccatum gratiam amittere.

Quos autem capaciores aduertit doceat eos (*v.g.* inſimul ante confeſsionem Paſchalem conſtitutos) de creatione mundi, primorum parentum, de lapſu eorum, de Incarnatione FILII DEI, & alia circa confeſsionem, & communionem, mores vitæ Chriſtianæ, præcipuè humilitatem & patientiam, & alia elementa ſermonis DEI, ex quibus ſuis temporibus plura ſibi componant. Hæc Parochi Rectoribus Scholarum inculcabunt, & ipſi quandoq; cum ſuo magno merito ex his pueros examinabunt. Communis eſt enim doctrina Theologorum, pueros cum ad vſum rationis deueniunt, teneri elicere actum amoris DEI, DEO ſe ſubijcere; & obligari ad præcepta naturalia & Eccleſiæ. Boni præce-

ptores non sint contenti vt semel aut iterum hæc inculcent, sed illos ex his sigillatim examinent, & ad percipiendum adigant, curantes vt potius boni Christiani, quàm Ciceroniani post peruersi politici euadant.

Libet his apponere aliquot puncta de modo instituendæ iuuentutis ex synodo Cracou. Anno Domini 1611. Primùm: pietas quidem primò, ex qua propriè, cultus DEI, & aliæ virtutes prodeunt, instillanda est teneris annis, partim informando eos de doctrina Christiana, partim excitando ad virtutem frequentibus monitis, quorum ansa ex cursu lectionum sumatur. Secundò: vt verò hæc ipsa assiduæ exhortationis seges, crescat cum ætate in adolescentibus feliciùs, radicesq; agat in eis firmiores, omne principium studiorum ab inuocatione Diuini Numinis auspicari: Sacrum M. officium audire frequenter, festis autem diebus, etiam cantare vnâ cum vesperis, Concionibus ecclesiasticis interesse, & audita in illis referre; Pænitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta vsurpare, sæpiùs surgentes à somno, & euntes cubitum, orare; facereq; conscientiæ examen quotidie consuefiant. Tertiò: Fide autem & religione inprimis imbuantur Catholicâ sedulò, cuius rei fructus vt & ad alios rudiores ex plebe redundet, ediscant Cathechismum Polonicum, memoriter Cardinalis Bellarmini, vel Ledesmæ, eundemq; diebus Dominicis & festis pomeridiano tempore in Ecclesia & frequentia populi

clara

clara voce alternis interrogationibus recitent. Et quoniam patent magis & incitant fortiùs ea quæ oculis, quàm quæ auribus in animos influunt, iuuentusq; in vitam & mores Magistri tanquam in speculum inspiciens, ex eo plerumque normam & exempla viuendi desumit; prouidendum est summopere, vt is non modo doctus, sed etiam fide Catholicus, moribusq; integerrimus deligatur.

His addiderim fabulas Poëtarum, quæ aliquam lasciuiam sapiunt nullatenus proponendas pueris: imò & alias nunquam sine eruditionibus moralibus tractandas: adolescentulus enim qui aliquo pollet iudicio auersabitur studia, existimans se vanitates vel paganismum edoceri. Mendici quoq; otio & ventri dediti, à Scholis abigantur, qui vt plurimum pueros corrumpunt, & ad furta & alia absurda assuefaciunt.

Parentes deniq; ipsi monendi sunt, nè suis blandimentis, largitione pecuniæ, alijsq; occasionibus dent occasionem lapsûs ac damnationis æternæ filijs suis, quin potius enitantur vt ipsi illam educationem, quam in Scholis recéperunt ad consistentiam in aliquo statu bono continuent. Sed proh dolor! quot tales sunt; qui ideo ineunt matrimonium, vt generent filios non DEO, non cælo, sed mundo, quos postea permittunt, vel potius instruunt vt ad infernum decidant, de quo CHRISTVS grauiter conqueritur in Reuel. S. Birg. lib. 6, Cap. 32.

QVÆ-

QVÆRES IX.

An teneatur Parochus curare vt infans ex vtero matris mortuæ (dum is conijcitur viuere) eximatur?

QVia hic casus defacto datur, estq; necessarius ad sciendum, ac in praxi difficilis, non abs re hisce apponitur, ad quem respondet Posseuinus in praxi curæ Past. de Sacram. bapt. q. 8. quòd teneatur etiam inuocato brachio sæculari. In defectu autem medici aut chirurgi, vti fit in pagis, dico, istam rem committendam esse obstetrici, quæ moneatur (siquidem in re tàm magni momenti necessaria est ignoranti instructio) vt primo cautè exscindat ipsam matricem & eximat, si non nouerit modum, infantem ex ipsâ matre eleuandi: deinde ipsam matricem scindat, vsq; ad ipsam secundinam quæ est alba membranula, obuoluens infantem ad instar cuticulæ in ouo pullum continentis: quæ etiam debet discindi, etiam præsente Sacerdote, vel ea, quæ scit baptisare, tandem quantocyùs infans baptisetur (nam iuxta placitum medicorum plùs minimè vna horâ in matre mortua non potest superuiuere) vbi aqua in promptu debet haberi etiam simplex, si non potest esse benedicta. Vel si est periculum in mora ipsa obstetrix citiùs baptizet, dicendo hæc verba (posito quod non sit monstrum aut grandior vermis) ego te creatura DEI baptizo. In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Postea si superuixerit infans, ceremonias baptismi

ex Rituali Sacerdos suppleat. Infans exemptus mortuus, non potest non baptizatus vnâ cum matre sepeliri in loco Sacro, secùs non exemptus quia censetur esse pars ventris.

CAPVT IIII.

De Confessionibus in peccatis inueteratorum.

QVÆRES I.

Quid aget Confessarius cum ijs qui per longam consuetudinem sunt in peccatis indurati

RESP. Confessario in hoc esse maxime laborandum, vt in ipsis verum pro peccatis dolorem excitet, & in proposito efficaci sese corrigendi stabiliat. Attamen cum talibus etiamsi grauissima peccata afferant, zelo aliquo inordinato, puta per indignationes, increpationesq; animi, multò magis corporis perturbationes, nullatenus agat: nam per eas ad impatientiæ peccatum, vel desperationem, aut grauem animi exacerbationem in ipsum Confessarium, vt potè ex consuetudine peccandi valde fragiles, cum dispendio Sacræ pænitentiæ, possunt deuenire; sed potiùs cum Angelis DEI gaudendum ipsi est, quòd ad pænitentiam recurrant, & more CHRISTI, Magdalenam, latronem, aliosq; peccatores absoluentis; cum benignitate & clementia esse suscipiendos: vera enim iustitia teste D. Greg habet compassionem, falsa

indigna-

indignationem. Satis illi miseri habent anxietatis ex remorsu conscientiæ propriæ, & turpitudine peccatorum suorum, ipsi sponte in genua procumbunt, se reos pronuntiant, expectant misericordiam DEI & Confessarij, vt consolentur, instruantur, & ex illis vinculis dissoluantur: vnde CHRISTVS in reuel. S. Birgit. lib. 5. post interrog. 8. admonet. Cum peccatore sicut cum infirmo debere tractari. Imò ipse Confessarius sit memor fragilitatis suæ, quod in maiora peccata potest prolabi, nisi DEVS se custodiat.

Quod si in aliquibus Authoribus Confessarius legerit de facienda ipsis increpatione, intelligat bonos Authores loqui de reprehensione scelerum & grauitate illorum ostendenda, quæ tamen moderatè est adhibenda, non autem peccantium, qui ad resipiscendum sunt animandi; vt eo modo vinum & oleum cum pio Samaritano ad sananda ipsorum vulnera infundantur. Seruabit ergo Confessarius illas conditiones suo officio debitas, quæ passim circumferuntur:

Confessor dulcis, affabilis, atq; fidelis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atq; benignus.

Nec pœnitentem (posito quod ipse illum absoluere possit) ad alium Confessarium pro maiori cautela remittat; grauem enim iniuriam in hoc facit Confessarius pænitenti, cum hic habeat ius post inchoationem suæ confessionis, vt ipsum ad finem audiat & dispositum absoluat.

Itaq; Confessarius auditâ integrâ pænitentis

confeſſione, ac præmiſsô cum ipſo debitô examine, animaduertat, an ſubſit aliqua obligatio, *v.g.* addiſcendi neceſſaria ad ſalutem, vitandi occaſiones peccandi proximas, non celebrandi in excommunicatione, in irregularitate, &c. reſtituendi honorem, famam, pecunias, aut petendi veniam ab offenſo, ædificandi proximum quem ſcandaliſauit, eaq́; ipſi pænitenti indicet & iniungat. Videat deinde nùm pænitens ſit ſufficienter præparatus ad recipiendam abſolutionem, eumque iuuet, vt ſi non ex amore DEI, aut regni cœleſtis deſiderio, ſaltèm timore gehennæ concipiat ſerium dolorem, & tale propoſitum quod affectum peccandi excludat, in ſpe veniæ per CHRISTVM obtinendæ, de quo Concil. Trid. Seſſ. 6. Cap. 6.

Si iudicat diſpoſitionem pænitentis eſſe debiliorem, quam vt per Sacramentum iuſtificetur, nullo modo ipſum abſoluat, ſed ſuauiter dimittat, vt meliùs paratus accedat: ſin autem probabiliter exiſtimet eſſe ſufficientem, quod ferè præſumendum eſt, niſi contrarium conſtet, tunc ipſum iuuabit per ſequentia monita.

Et quidem primò illum admoneat, vt gratias agat Domino DEO, quòd ſe in his peccatis ad æternam damnationem non demandauerit; ſiquidem hactenus ſibi cælum clauſum fuit, infernus apertus, DEVS qui ſeſe in hoc corpus infudit, grauiter offenſus: quia ergo expectauit ſe ad pænitentiam agendam, libentiſſimè illam peragat. Deinde vt grauiſſimè doleat (etiam

am optando dolorem infinitum) quod DEVM infinitæ maiestatis Dominum, suum principalem Patrem, benefactorem, &c. cui totaliter subesse & obedire obligatus semper est, tam grauiter offenderit, transgrediendo mandata eius vilipenderit, suam voluntatem Diuinæ anteposuerit, plùs suis belluinis concupiscentijs, quàm legibus Diuinis detulerit, potiùs elegerit tentationes diaboli, quàm inspirationes Diuinas perficere. Si patrem, si matrem, aliumuè sibi amicissimum, si Regem offendisset, quantùm postea doleret, quantùm satisfacere pro iniuria satageret; at DEVS plùs his CHRISTVS pro se in anima & corpore acerbissima passus, mortuus, nè suum corpus & anima æternaliter periret; ille corpore & anima contra CHRISTVM grauiter deliquit. Iterum ergo renunciet diabolo, pompis eius, & operibus eius, renunciet naturæ suæ corruptæ, peruersæ societati, &c. & subdat se totaliter DEO suo principali Domino, Patri sibi amicissimo, qui se plus amat, quàm quisq; amicissimus sibi, vel quàm ille semetipsum diligit. Defleat per cordis lachrymas, cum Petro, Magdalena, & alijs verè pænitentibus peccata sua, & cum ipsis excitet in se firmum & efficax propositum potius omnia relinquere per gratiam DEI, etiam ipsam vitam, quàm amicitiam apud DEVM amittere. Alias si non habet verum propositum, DEVS illud videns denegabit gratiam: dicet Confessarius credens promissis de sua emendatione: Ego te absoluo: dicet DEVS: Ego te condemno.

Quia ergo hactenus malè fuit dispositus erga DEVM, proximum, seipsum, necesse est aliam vitam inchoët, atq; ergà DEVM assumat affectum filialem, vt quemadmodum probus filius parentem suum magni æstimat, honorat, obedit ipsi, &c. Sic ille DEO. Erga proximos maternalem; erga seipsum affectum Iudicis, vt se ipsum arguat, puniat, si quando deliquerit. Ad quam pietatem Christianam duo vsurpet exercitia; videlicet crebra ad DEVM suspiria, & sui mortificationem, animæ quidem per humilitatem, DEO se submittendo subter omnes homines, subter omnem creaturam; corporis autem per Sacram continentiam, in contrarium tenendo oculos, choleram, &c Hæc sibi CHRISTI nomine appendat dicta, pro sua salute.

Et nè facilè relabatur, tentationibus, amore CHRISTI inflammatus seriò resistat: sicut enim diabolus omninò statuit vt se secum ad damnationem protrahat iuxta Apostolum. *Circuit quærens quem deuoret:* ita ipse omnino decernat, vt cum DEO in cælo maneat; nè autem contra se diabolus præualeat per sua vitia, per suas concupiscentias, DEVM humiliter exoret, vitia eradicet, sensuum lenocinia detestetur, compescat: ipse regat corpus cum suis concupiscentijs ac sensibus non autem eum corpus & maledicta sensualitas inflectat. Sic enim DEVS imperat *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Sciat autem vnum ex his omninò sibi debere contingere, vt vel in cælo cum DEO in

deli-

delicijs æternis gaudeat, vel quod DEVS auertat, in sempiternis gehennæ incendijs ardeat, cum anima & corpore post diem iudicij, & meliùs fuisset non nasci quam sic condemnari, hancque cautelam sæpiùs intra se trutinet; ergo eligat quod mauult, pro certò non erit in cælo, nisi se vincere & DEO subijcere conetur, igitur amorem sui inordinatum abijciat, sibi ipsi vilescat, sese mortificet. Verba enim CHRISTI sunt sempiternæ veritatis. *Qui amat animam suam, perdet eam. Regnum cælorum vim patitur: ideò, multi vocati pauci electi.* Hæc in communi pro omnibus peccatis ex quibus plura vel pauciora puncta, vel etiam vnicum Confessarius, prout videbitur assumet. Pro specialibus delictis etiam erunt dandæ aliquæ peculiares doctrinæ, quæ ex libris spiritualibus, (qui DEI gratiâ in copiâ inueniuntur,) Confessarius colliget ad emolliendum indurati animum. Pro maiori declaratione prædictorum hisce appono duas comminationes CHRISTI Domini ex Reuel. S. Birgit. alteram contra malos Sacerdotes, alteram contra dissolutos rusticos. Contra Sacerdotes sunt hæc verba lib. 1. Cap. 47. *Horum iudicium est damnatio. Sicut maledixit Dauid eis qui non obedierunt DEO: qui cum esset iustus Propheta & Rex: non maledixit ex ira vel mala voluntate: seu ex impatientia, sed ex iustitia DEI. Sic ego qui melior sum Dauid: maledico eis qui sunt Sacerdotes, non ex ira vel ex voluntate mala: sed ex iustitia.*

Male-

Maledictum sit omne quod de terra ad vtilitatem suam receperint: quia non laudant DEVM *& creatorem suum, qui dedit eis hæc. Maledictus est cibus & potus eorum: qui pauit corpus in cibum vermium, & animam ad infernum. Maledictum sit corpus eorum, quod resurget in infernum sine fine arsurum. Maledicti sunt anni eorum: quibus vixerunt inutiliter. Maledicta hora quæ incipit eis in inferno: & nunquam finietur. Maledicti sint oculi eorum: quibus viderunt lumen cæli Maledictæ sint aures eorum, quibus audierunt verba mea, & non curabant. Maledictus sit gustus eorum, quo gustauerunt dona mea. Maledictus sit tactus eorum, quo tractauerunt me. Maledictus sit odoratus eorum: quo odorauerunt delectabilia: & me neglexerunt delectabiliorem super omnia, &c. &c.* Contra rusticos hæc lib. 1. Cap. 56. *Iustitia laboratorum est quasi taurorum, tauri habent carnem & pellem nimis duram ideo indicium eorum est ferrum acutissimum; hoc ferrum acutissimum est mors inferni, quæ cruciabit eos qui me contempserunt, & propriam voluntatem pro mandato meo dilexerunt, &c. Qui nisi cum emendatione ad me quasi serui & fragiles redierint, vindicabor in eos in ira mea, tunc væ erit eis in corpore & anima, quia viui in mundum venerunt, & in mundo vixerunt. Væ quia modica fuit eorum voluptas, & adhuc illa vana, & cruciatus eorum perpetuus. Tunc sentient quòd nunc credere contemnunt, quia verba mea fuerunt charitatis, tunc intelligent quia quasi Pater monui eos* (intelli-

ge per Sacerdotes, nec enim conuenit CHRISTVM ad quemlibet viſibiliter deſcendere) *& me noluerunt audire.*

PVNCTA.

Aliquot pro ſatisfactione imponenda.

POſtquam Confeſſarius aduerterit in pænitente confeſſionis integritatem, ſerium dolorem ratione DEI offenſi pro peccatis, & firmum propoſitum ſeſe corrigendi; neceſſe eſt cogitet de ſatisfactione imponenda, quæ duplex fieri debet: altera punitiua pro culpis admiſſis, altera præſeruatiua pro non committendis ampliùs. Et quidem punitiuam (conſideratâ peccatorum multitudine, grauitate, varietate) pro conditione & ſtatu pænitentis temperabit iuxta canones pænitentiales, quæ ſit ſine nota & ſuſpicionibus domeſticorum. Pro præſeruatiuis aſſignabit virtutes contrarias peccatis, *v.g.* auaris eleemoſinas, guloſis, ebrioſis, ieiunia (quæ tamen diuitibus in ſiccis propter abuſum aſſignanda non videntur) acedioſis orationes, & alia ſpiritualia exercitia, libidinoſis corporis aſperitates, &c. Quia tamen hæc ab omnibus præſtari non poſſunt; excogitanda ſunt alia quæ bonum propoſitum pænitentis foueant, quorum hîc aliquot exempla pono.

1. Obduratus, manè ſemper per aliquot hebdomadas coram DEO, vel B. Virgine, vel aliquo Sancto Patrono ſuo proponat potiùs mori, quàm ſuam obedientiam per peccatum mortale DEO

le DEO ſubtrahere; ad cuius propoſiti proteſtationem, dicat ſeptem vel quindecem Pater, & Aue, vel Pſal. Miſerere, &c. Et illius Sancti patrocinium imploret. Item teſtetur ſuum amorem erga DEVM, quô illum plùs æſtimet, quàm ſe, quàm totum mundum, pluris illius ſanctiſſimam voluntatem, quàm ſuam malitiâ infectam, dicendo Canticum D. Virginis Magnificat, & quinq; Aue Maria, vt ſit à peccato immunis; vel aliquot Pater, & Aue, cum Symbolo Apoſtolico; quòd cùm dicet; illa verba Credo in DEVM, hoc ſenſu proferat: non mihi ſed DEO viuo, & cunctis poſtpoſitis ac me ipſo contempto, totum me cum omnibus viribus meis, resq; quibus vtar ad DEVM refero, eiusq; beneplacita exequenda.

2. Sæpiùs ad CHRISTVM aſpiret per illam orationem Sacri Euangelij: *DEVS propitius eſto mihi indigno peccatori,* per Paſſionem Filij tui, Sanctiſſima Mater MARIA, per tuam compaſſionem ora pro me. Sancti Patroni per veſtra merita iuuate me. Ad cuius rei memoriam refricandam, faciat ſibi aliqua certa ſigna, pro certis ſpatijs temporis, ſi horologium deeſt.

3. Orationes aliquas de Paſſione Domini (cuius deuota memoria mirum in modum armat contra peccata) *v. g.* Sanctæ Birgittæ, vel partem doloroſam Roſarij, vel Pſalmos Pœnitentiales in honorem ſeptem effuſionum CHRISTI ſanguinis, vel quindecem Pater, & Aue pro-

ſtratus in terra, vel ſeptem Pater & Aue flectens disiunctis per modum crucis manibus, &c, ſi non quotidie ſaltèm diebus feſtiuis dicat, humiliter pro peccatis dolendo, & opem contra tentationes poſtulando.

4. Antequàm cubitum vadat; cogitet; quod fortaſſe hâc nocte moriar, & pro peccatis meis damnabor: vnde faciat examen conſcientiæ, & pro admiſſis delictis pœnam aliquam ſpontè ſubeat, ſaltèm pectus vel faciem ſuam percutiendo, terram oſculando, proteſtans ſe coram DEO illâ indignum, duriùs cubando, &c. Vt ſemper aliquid de amore ſui inordinato ſibi ſubtrahat.

5. Aliqua fercula, vel partem illorum, potûs vel ſomni ſibi adimat, cilicium geſtet, diſciplinas faciat, &c. Vt aſſueſcat corpus ſuum ſpiritui ſubijcere.

6. Legat aliquem librum ſpiritualem ad vitia ſua ex te eradicanda; die feſto duo Sacra audiat, concionem, veſperas.

7. Aliquem pauperem in honorem paupertatis vel miſericordiæ CHRISTI domi alat, per annum vel certis diebus anni.

8. Actum contritionis, manè, meridiè, veſperi faciat, ſaltèm per illa verba. Amo, Doleo, Propono, Amo te IESV ſuper omnia. Grauiſſimè doleo quòd te offenderim. Propono tuâ gratiâ corrigere me. Eſto mihi per paſſionem tuam, & tuæ SS. Matris dolores propitius.

9. Quolibet menſe, vel certis diebus feſtis B. Virgi-

Virginis, & Apostolorum confiteatur & communicet.

10. Si aliquem scandalizauit curet emendare, ac pro vna anima decem conuertere in quantum poterit; & ad hunc finem faciat aliquot Missas celebrari. Si aliquo die omittat, alijs suppleat: item Confessarius inquirat, an possit sibi iniuncta exequi, vt alia substituat. Interdum etiam iniungi poterunt quæ alio titulo debentur, *v.g.* in audiendo missam, in restituendo, in ieiunando, fugiendo occasiones peccandi, &c. & moneat hîc nouas obligationes adesse.

Quod si viderit pænitentem valde infirmum in animo, non aggrauet illum pænitentijs multis, quia (quidam Doctor Parisiensis ait) est satiùs vt aliquis in purgatorium propter paruam pænitentiam, quàm propter impænitentiam ad infernum vadat. Nihilominùs præmonendus erit; sibi pro tantis peccatis longè maiorem pænitentiam deberi, cùm in primitiua Ecclesia, alij annos septem, alij triginta & diutiùs pænitentiam rigorosam peragebant, quia meliùs apprehendebant quid sit offensa DEI, & quomodo non possit iusta à vilissimo homuncione, DEO, compensatio vnquam fieri. Alia documenta præseruatiua per modum consilij.

1. Omninò in animo decernat, aliquot vitium DEVM inuocando, in se eradicare, illudque tam diu in se puniat per ieiunia, disciplinas, prostrationes, actus contrarios, donec illud vincat, ad quod assumat patrocinium sanctissimæ

Matris, vel alicuius sancti. Quod enim aliqui post tot admonitiones, tot confessiones, tot proposita non resipiscunt, imò etiam cum maiore ætate in grauiora peccata prolabuntur, & in ipsis infeliciter moriuntur; hæc à Magistris spiritualibus ratio adæquata datur: quia se magni facientes, sibiq; multùm fauentes, suas malas inclinationes & prauas consuetudines ex se, per sanctam violentiam & orationem eradicare nolunt, & dum consuetudini (teste D. August.) non resistitur, fit necessitas, ex necessitate desperatio.

2. Faciat aliquem actum heroicum sui victoriæ præsertim in principio tentationis *v. g.* graues sibi alapas vel ictus infligendo, acrem disciplinam faciendo, diutiùs flexis genibus orando, &c.

3. Loca pia visitet, hospitalia, carceres, ægrotos, funeribus mortuorum adsit, ossa cadauerum aspiciat, vt cognoscat se quotidie quid sit, quis futurus sit, & nè se alijs præferat, sed seipsum DEO subijciat subter omnes creaturas.

4. Habeat saltèm vnum quadrantem per diem, in quo cogitet de excellentia DEI ex sole, stellis, & alijs creaturis, ex Sacræ scripturæ locis, de amore DEI erga se, de beneficijs à DEO sibi concessis, de CHRISTI Domini gestis, passione, morte, propter se suscepta, de sua obligatione erga DEVM, de sua vilitate, malitia, peccatis, omninòque sibi persuadeat, vt DEO in omnibus sit obediens: & gratus Misericordiæ DEI.

5. Cùm ſibi aliquid aduerſi euenit, ſiue ab homine, ſiue caſu aliquo, cogitet ſe maiore malô dignum, grauiora promeruiſſe infernô, & perſuadeat potiùs hîc ſibi eſſe patiendum propter DEVM, cælum, virtutem, cum merito, quàm ſine illo fortè etiam in inferno.

6. Aſſueſcat vt in omnibus honorem & beneplacitum DEI ſpectet, hoc enim primum deſiderium, hanc peculiarem intentionem ac ſtudium noſtrum debere eſſe, CHRISTVS ipſe docuit, cùm dixit. *Pater noſter qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum.* Nam in omni vita ſua, non ſibi primò, ſed DEO debet bonum optare & procurare iuxta ſtatum ſuum; ſecundariò autem ſibi vitam æternam, & quæ ad illam faciunt; cùm enim DEVS potior ſit quàm omnia etiam quæcunq; poſſibilia; ideò primò hîc ponitur honor DEI. Secundò regnum DEI, gratiæ & gloriæ. Tertiò medium directum ad hæc, id eſt obſeruatio mandatorum DEI, tùm bona ſpiritualia & temporalia & remotio malorum, quæ impediunt à præfatis. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 84. art. 9 Inſuper Confeſſarius roget pænitentem an aliquid reſtet, quod grauet ipſius conſcientiam; & ſi nihil ſit, ipſum abſoluat; priùs tamen ante abſolutionem ab eo inquirat, an DEVM & voluntatem eius ſupra omnia præferat, an ex amore DEI omnia peccata deteſtetur, an habeat firmum & efficax propoſitum peccata vitandi? ſique pænitens reſpondeat affirmatiuè: Confeſſarius ſubſumat, vt addat hæc

verba gratiâ DEI, vel DEO iuuante; præmoneatq́; multos in grauiora peccata, quàm fuerant confessi prolapsos; quia non DEI auxilio, sed suis viribus fidebant, vnde & ipse sæpiùs DEVM oret, & pro viribus animæ suæ profectum procuret. Tandem sic benè animatum, instructum, & aduersus pericula & occasiones peccandi munitum, DEO commendet, & offerat tanquàm fructum DEO sine dubio gratissimum futurum, quia vt ait D. Iacob. Cap. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Deniq; caueat post confessionem tristiorem aut auersiorem vultum ostendere ipsi pænitenti, aut circa illum exhibere aliqua signa contemptûs, vnde vel ipsi peccati exprobratio, vel alijs notitia aut suspicio oriri possit. Debet ergo æqualiter initiò dum audire incipit, & in progressu exteriùs esse compositus, & post confessionem eundem se exhibere sicut ante, comem, affabilem, ac familiarem.

QVÆRES II.

Quid faciendum Confessario, qui videt pænitentem esse in occasione peccati?

RESpondent communiter DD. Si sit occasio proxima peccandi mortaliter, tenetur Confessarius exigere à pænitente propositum firmum eam tollendi; vt autem proxima iudicetur duo debent concurrere. 1. Vt sit voluntaria, si e-

nim vitari non possit moraliter loquendo, & ab alio potiùs censeatur illata, quàm assumpta; non reddit indignum absolutione. 2. Debet esse talis ex suo genere vt statim vel quasi statim illâ datâ homo in mortale cadat: siue vt nata sit frequentissimè homines similis conditionis ad talia peccata inducere: vel experientia doceat, talem effectum habere in hoc pœnitente. Hîc verò ad iudicandum multâ prudentiâ debet vti Confessarius. Nam vni occasio proxima est, quæ eadem in alio talis non iudicatur. *v. g.* Frequentatio popinæ vni est proxima occasio ebrietatis, & aliorum peccatorum mortalium, quæ alteri talis non censetur; licet aliquando etiam inde peccare eum contigerit. Item frequentatio cum hæreticis, vni est occasio hæresis, aut dubietatis in fide, alteri firmiori non est. Item conuersatio cum puellis, alicui adolescenti est causa luxuriæ, vel in actu, vel in cogitatione: similis occasio non censetur proxima alteri, qui aliquando, at raro propter hoc peccat. Item lectio librorum de amore tractantium, vni potest esse præcipitium, alteri non nisi aliquod leue malum censeri. Cùm ergo occasio censetur proxima alicui, talis non potest absolui, nisi proponat tollere; si autem non sit proxima, potest absolui.

Sed quid si pœnitens dicat, se non posse sine scandalo, vel infamia, vel graui incommodo tollere? Huiusmodi sunt casus quotidiani, & mul-

tùm timoratos Confeſſarios torquent. Exemplum ſit. Famulus & ancilla in eadem domo conuerſantes, ſibi mutuò carnalium cogitationum & tactuum occaſio ſunt: & allegant ſe eam domum non poſſe deſerere, ſine graui incommodo, quia alibi miniſterium non ſunt reperturi. Item filiusfamilias malè conuerſatur cum ancilla, aut conſanguinea cohabitante; vel etiam ſorore; & dicit ſe non poſſe deſerere paternam domum, nec idipſum fieri poſſe ab altera. Item adoleſcens in matrimonium optat aliquam puellam, nec poteſt eam alloqui ſine motibus carnis, in quibus ſolet delectari, & ſic eſt in frequenti ſtatu peccati, ſed hanc familiaritatem, ob matrimonium prætenſum negat ſe deſerere poſſe.

Reſpondeo cùm Marchan. in Reſol. Paſt. de pænit. Primò in his & ſimilibus caſibus videndum eſſe, an ſit aliquod remedium, quod ſuſceptum à pænitente, credatur poſſe ipſum cum DEI gratiâ præſeruare à lapſu. Atq; ita pænitens ſi admittat tale remedium cum propoſito non conſentiendi ampliùs peccato, poſſet abſolui. 1. Moneatur reſolutô animô, perſonæ cum qua malè verſatur, repræſentare periculum in quo ſunt, & quòd ob illud ſibi denegetur abſolutio (niſi inde Confeſſario crearetur periculum, *v.g.* à concubinario) ideoq; obſecrare eum debet in Domino, vt meliorem iam ineat rationem vitandi peccati & periculi. 2. Eliciat propoſitum efficax non conuerſandi in tenebris cum illa,

illa, aut in loco remotiori & solitario efficaciùs ad peccatum inducente. 3. Paratus sit non solùm loca, sed & occasiones quas iudicat maximè proximas sibi, siue ordinariè initium peccato dantes, euitare; puta aspectus nimis fixos illius personæ, aut manuum, facieique attactus, blanditias, illecebrasq; omnes. 4. Ordinetur ei aliqua breuis oratio iaculatoria, quâ quotidie propositum renouet non cadendi, idque matutino tempore, vel etiam ter in die; mane, meridie, & vesperi. Item salutatio ad CHRISTVM, B. Virginem, Angelum custodem, & ad hunc affectum, precatiuncula per Aue Maria, vel genuflexio cum reflexione mentis, ad CHRISTVM in cruce pro se pendentem, rogantem, deterrentem à peccato, &c. Item quoties cogitatio praua inciderit, cruce signet pectus, cor eleuando in DEVM, & similia. Si hæc obseruare se omninò paratum offerat, atq; alia quæ Confessarius ex spiritûs instinctu suggerere potuerit (inter quæ esse poterit frequens confessio & communio, frequens Missæ auditio) poterit talis absolui.

Sed quid si adhuc reincidat, & absolutionem iterum iterumque reincidens petat? Respondeo cum Reginaldo de prud. Confess. Non ideò negandam, si maiorem dolorem & propositum firmius, quàm antea repetat: præsertim si aliquantum se contineat & diminuat numerum peccatorum: ita vt aliqua inchoatio, aut

spes

ſpes emendationis, poſſit aduerti. Quod ſi nulla eſt in ipſo cura ſalutis, nulla apparentia aut ſpes emendationis; ſed potiùs ruina in peius, dicendum ei & remorandum illud CHRISTI: *Si oculus tuus, aut pes, aut manus ſcandalizat te, proÿce eam.* Hoc eſt licet aliquis tibi tam commodus, aut neceſſarius videtur, quàm eſt oculus, aut pes, aut manus, & tamen propter illum tibi ėſt ruinæ ſalutis, meliùs eſt, vt eius emolumentis careas, quàm ob illum protraharis in gehennam; ideoque ſepara te ab illo quamuis coniunctiſſimus tibi ſit, & vtiliſſimus. Sicut enim præſtat vt cum vno oculo, pede, manu, ingrediaris regnum cælorum, quàm cum duobus mittaris in gehennam, ita & hîc; potius enim eſt vt fama, & res, ac corpus pereant, quàm anima; nam vt plurimùm in his occaſionibus animæ interitus euenit, vt exempla comprobant. Ideoque CHRISTVS in Reuel. S. Birgit. lib. Cap. 47. ait: *illum qui ſic dicit; pœniteo de peccato; ſed non relinquam illam cum qua peccaui, ita vt ampliùs non faciam: quaſi ferro acutiſſimo ſe pungere.* Imploret vero Confeſſarius DEI auxilium pro illis, ac pro ſe, vt iuxta prudentiam ſpiritûs illis poſſit conſulere & opem ferre.

Hic etiam obſeruandum, quod ſatis prudenter annotauit Card. de Lugo Tom. de pænitentia diſp. 24 n. 17. Quando Confeſſarij Principum, Prælatorum, aliorumq; magnatum, ſciunt ipſos non ſatisfacere officio *v. g.* circa collationem beneficiorum, electionem miniſtrorum, ſubdi-

ſubditorum gubernationem, circa eleemoſynas ex bonis Eccleſiaſticis faciendas, &c. regulariter tenetur Confeſſarius monere pænitentem de ſua obligatione: alias ſi abſoluit, ſuis humeris peccata illa imponit, & cæcus cæcum ducens, ambo in foueam inferni cadunt. Ratio: quia in talibus rarò ignorantia inuincibilis; rarò item contingit, vt illa ſecum non adferant ſcandalum in ſubditis, ex ſtimantibus illa licere; vel certè non afferant damnum commune. Si tamen videat ignorantiam eſſe inuincibilem, neq; ex illa ſequi ſcandalum, aut damnum commune; contra verò admonitionem fore in maius damnum pænitentis; aut allaturam ſcandala vel incommoda, poteſt ſecundo paulò ante dicta diſſimulare, niſi interrogetur, ita ille.

Noui quendam Religioſum ex Familia S. Franciſci, qui Capellanus & Confeſſarius exiſtens cuiusdam Magnatis, admonitus ab alijs Religioſis beneficiatis, vt Domino illi faceret ſcrupulum, de Decimis reddendis quæ illis Religioſis debebantur; candidè & reſolutè reſpondit; Patres (inquit) videã veſtra priuilegia, vt ſim certus de his Decimis, ego in peruigilio Feſti quo ipſe confeſſurus eſt, admonebo ipſum de iſto debito; ſi noluerit acquieſcere; ego accepto meo Breuiario ipſum deſeram, nè animam meam perdam, quam vt ſaluem, factus ſum Religioſus. Fecit quod promiſit, & illo ſuo zelo ac prudentiâ effecit; vt ille Dominus ſine ſtrepitu iuris (quod diutius protrahebatur) per ſenten-

tiam

tiam Arbitri pij & docti hominis Decimas extraderet.

QVÆRES III.

Quid agendum cum recidiuante?

NOtandum est ex Nauarro in Enchirid: Cap. 3. Si quis in idem peccatum reciderit, non esse illi eo solo nomine absolutionem negandam, tanquam impænitenti; quia recidisse in idem peccatum, non est argumentum necessarium defectûs veræ pænitentiæ, sed signum infirmitatis; vnde communiter absoluuntur, semel in anno confitentes, si nullum aliud adferunt impedimentum; quantumuis in peccata de quibus confessi erant, recidisse deprehendantur. Procedit autem istud ex eodem Nauarro, etiamsi confitens nolit abstinere ab eo, quod fuit ei occasio recidendi, vt conuersatio cum aliqua persona, aut aliud simile; dum modo non sit occasio propinqua (vt supra dictum est) peccati mortalis, seu quâ datâ statim aut quasi statim cadatur in mortale, interueniatque verus dolor cum efficaci proposito, & graui causa; cum spe emendationis seu non committendi illud peccatum.

Procedit etiam in eo, qui bis, ter, aut sæpiùs recidit: argumentô eius quod non tantùm semel, aut septiès, sed septuagiès septiès in nos peccanti parcendum sit *Cap. septiès de pænit. distinct.* 3. *ex Matt. Cap.* 18. *& Luc.* 17. dummodò laboret & vtatur modis præsertim à Confessario

præ-

præſcriptis ad ſeſe corrigendum. Attamen ex eodem Nauarro, videretur non abſoluendus pænitens recidiuus, tanquam non dans ſignum ſufficiens propoſiti firmi non peccandi de cæterò, ſi nulla emendatio neq; emendationis inchoatio præteritis vicibus in eo exſtitiſſe obſeruaretur, aut ſi infirmitas, imbecillitasq; ipſius, aut ingens propenſio ad peccatum, aut externæ occaſiones recidendi, perſuadent nullam ſecuturam emendationem; quia iſtiuſmodi, vt ſupra patet ex dictis, præſumitur carere verò dolore & propoſitò.

QVÆRES IV.

Quæ ſunt remedia aduerſus recidiuationem?

PORrò aduerſus recidiuum, adhibenda remedia hæc, quæ ex Gerſone commemorat Polancus, & cum eo Iacobus à Graphis 1. eſt, ſequenti die cum recidere contigerit ieiunare in pane & aqua. 2. Recitare certum Pſalmorum numerum. 3. Aliquid charum vel certè aliquam pecuniam dare in eleemoſynam. 4. Confiteri intra triduum poſt peccatum commiſſum. 5. Cum ſuccumbendo tentationi contigerit conſenſus in peccatum; per actum contritionis ad miſericordiam DEI conſequendam; aliquas orationes dicere, aut certe cùm id cæterorum præſentia impedit, ſaltèm manu ad pectus admotà (quòd fieri poteſt alijs non aduertentibus) dolere 6. Recidiuanti iuxta conditionem ipſius, & peccatorum grauitatem, vltra pæniten-

nitentiam, quàm par fuerit ei imponi, iniungere aliquid recitandum, vt Pater & Aue, aut aliquid huiusmodi in memoriam gratiæ resurgendi, à DEO per Sacramentum obtentæ. 7. Addi potest ex Nauarro in Ench. vt contra tentationem peccati, in quod relabi contigit, imploret Diuinum auxilium per preces alicuius Sancti, qui virtute contraria plurimùm enituit: & vt firmiter proponat, ac etiam interdum voueat, saltèm ad tempus; se illam, vel illam pænitentiam facturum, si adhuc relabatur; tanquam sibi legem imponens, quâ seipsum coërceat, ac sibimet terrori sit: quasi DEI auctoritate gladio accinctus ad pugnam, pro tuendo ipsius diuino honore, aduersus proprios affectus: à quibus importunè oppugnatur, illos scilicet per pænitentiam mortificando. In qua pugna difficultas ea occurrit, quòd is impugnandus sit, qui diligitur, iuxta illud ad Ephesios. *Nemo vnquàm carnem suam odio habuit, sed fouet & nutrit eam.* Verùm amore coronæ, gloriæ & timore gehennæ, talis difficultas facilè superatur: dum simul in mentem venit, quòd lata & spatiosa sit via ad perditionem *quodq; non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2. ad Tim. 2. veniant item Sanctorum exempla, qui cum tanta austeritate vixerunt: ac etiam exempla illorum, qui mundanam militiam sequuntur, in qua tam multa incommoda & plerumq; inani spe fulti, perferunt. Non voueat autem, se nunquàm tale peccatum admissurum, aut se ingressurum in religi-

onem si admittat: *Argumento cap. Clericos de cohabitatione Clericorum & mulierum.* in quo prohibetur nè Clerici concubinarij per juramentum compellantur concubinas dimittere.

Ad necessarium autem diuinum auxilium obtinendum, iuuerit petendo illud humilitatem exercere (si tempus & locus patiantur) flexis in terram genibus, vel in terram se prosternendo coram imagine Crucifixi, detestando nostram erga ipsum nequitiam & ingratitudinem, atq; si placet osculando terram ipsam à qua sustineri nos reddimus indignos. Etenim cor sic contritum & humiliatum DEVS non despiciet. Addi potest ad extremum consideratio, quòd cum turpitudo & pernicies peccati omnem aliam superet, quiddam tamen adhuc vilius & peius inesse censeatur in relapsu, quàm in peccatis primò commissis, iuxta illud Ierem. 2. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas*, & illud Prouerb. 26. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* & illud Domini Matth. 12. & Luc. 11. *Fiunt nouissima hominis peiora prioribus.*

Maxima difficultas cum vsurarijs Confessarijs occurrit, qui suos peruersos contractus, honestis vocabulis contegere solent, vt vix possibile sit malitiam eorum deprehendere, & pænitentibus abominabilem reddere: deinde cùm consuetudo vsurpata, à multis pro lege habeatur, nulli scrupuli talibus circa illos actus remorsum conscientiæ faciunt, vnde pro peccatis

n n reputati, in confessionibus reticentur. Concionatores si specifice contra eos publice inueherent fortasse pro conuiciatoribus censerentur: Confessari vel illos aduertere non possunt, siquidem obteguntur; uel in bona fide ill s pænitentes relinquunt. Proinde sicut optimo consilio factum est, quòd casus reseruati summo Pontifici, quorum communior sit euentus in Prouinciis, ad notitiam Confessariorum in Agendis siue Ritualibus promulgantur; ita valde commodum & proficuum, tàm pænitentia iis, quàm pænitentibus fieret, si illi contractus qui specie latu ta iustitiæ tecti in frequentiore vsu habentur, ab aliquo Doctore Theologo, Doctore Iuris, & magni Iudicij & experientiæ Practico insimul congregatis collati ac trutinati, (siquidem modò sunt plures in contractibus abusus, quàm quos R. P. Martinus Smiglecky, satis doctè pro hoc Regno pro cautela exposuit) per aliq em libellum publicâ Authoritate, pro iniquis declararentur.

Idem censendum circa subditorum oppressores, qui iuxta suam confictam iustitiam, maiores censūs & labores, quasi sibi ex obligatione subiectionis debitos à miseris exigunt, cum magno dispendio latenter imminente etiam illis ipsis cum prole sua; ac per consequens ipsi Reipub. deficiente stomacho etiam totum corpus deficere necesse est; ita ex rusticis exhaustis corpus Reip.

Cautelæ quoq; quæ propter Confessarios contra audaciam militum bona Ecclesiastica spoliantium,

tium, typis prodeunt; non multùm valere ad comprimendam horum peruicaciam videntur; siquidem ob iuste sibi denegatam absolutionem in peius irritantur; nec videtur habere finem ipsorum malitia. Magnum fuit olim & honorabile militiæ nomen, vt in historijs etiam Ethnicorum videre licet: imò & in Sacro Euangelio milites ab illo magno CHRISTI præcursore, salutaria monita promeriti sunt, & in suo statu confirmati; modò autem eò miseriarum interdum deuenitur; vt hic status potius dissuadendus, ob pericula damnationis æternæ, & dubiam victoriam, quàm suadendus videatur. Quæ enim spes gratiæ diuinæ, & salutis æternæ istis affulgeat, quæ benedictio à Domino exercituum ad debellando hostes, quæ consolatio Reip. qui bona CHRISTO dicata nullo iure magis magisque (missis alijs abusibus) suis stationibus & grauioribus exactionibus depopulantur, miseros subditos nimium expoliant, indeq; possessiones Ecclesiasticas & Regales deuastant. Deinde si ante conflictum Sacramentalem absolutionem percipiant, non video, quomodo ipsius capaces esse possint, qui in antiquo proposito malè victitandi ex bonis Ecclesiasticis, & spolijs afflictorum persistunt. Quàpropter ad obuiandum huic malo grauiores noxas secum trahente, talis modus esset ab illis scriptoribus, vel potiùs quibus interest adinueniendus; vt potius sit exercitus Gedeonis, Machabæorum, vel saltèm veterum Romanorum, aut qualis in Chronicis nostri

Regni describitur, cum minori sumptu, & fru-ctu maiore, quàm alias.

Item illa monita quæ ad corrigendos publicos abusus; vel per satyras etiam vsus laudabilis fuit apud Romanos, vel benigniore stylo, à zelosis boni communis viris insinuantur, pungunt quidem aliquos, sed minimè compungunt; magis fortasse proficuus modus foret ille, cuius mentionem facit Baronius sub Annum Dñi 450. n. 6. & A. 451. n. 2. expressiùs autem in Anno 828. n. 4. Si nimirum proceres Ecclesiastici & Sæculares mutuum consilium cum efficaci executione ad obuiandum hisce delictis inirent, & fortè necessarius nam multiplicatæ culpæ ad mensuræ adimpletionem, maiorem DEI thesaurisant iram, & grauiores diuinæ iustitiæ pœnas, vt non addat vltra misereri exigunt. Deinde felicitatem bonorum temporalium, & prosperitatem Regnorum à vera Religione, & à virtutibus; & è contra; pendere; satis latè probat Thomas Bozius, de Ruinis Gentium, præsertim lib. 2. Cap. 1. specialiter autem lib. 7. Cap. 8. de Regno Poloniæ. His vel similibus in executionem datis; Confessarij cum maiori facilitate & fructu munus suum circa præfatos pænitentes obibunt.

QVÆRES V.

Quis processus seruandus in excipiendis confessionibus generalibus & aliÿs longioribus?

RESpondet Basil. V. Confess. §. 4. n. 7. Auditurus

turus confessionem generalem, aduertat inprimis, an aliquis defectus substantialis præcedentes confessiones inualidauerit? nam tunc accuratiore diligentia, & attentione opus est, quàm cum solùm maior quæritur fructus spiritualis; tunc enim Confessarius non multùm illi tenetur esse intentus, & pænitenti licitum absq; sacrilegio silere quædam, quæ infamiam præferunt. Ratio est, quia qui de venialibus confitetur, potest tacere quæ vult, & quæ vult tantum confiteri; ita hic non magis, tenetur repetere ea de quibus iam confessus, & à quibus directè absolutus est, quàm peccata venialia. Nec refert quòd pænitens dixerit Confessario, se velle apud eum confessionem generalem facere; licet enim ita dicendo mentiatur; id parum confert, quoad hanc obligationem, nec fallit in re quæ ex se pertinet ad forum huius iudicij.

Et licet ille qui facit confessionem generalem ex obligatione, & confitetur simul peccata aliqua commissa post confessionem vltimam, vt Confessarius ea excipiat tanquam materiam necessariam; nihilominùs in praxi dicendo, iste qui ex deuotione generaliter confitetur, debet dicere ante vel post hanc confessionem generalem, si quod peccatum mortale nouum commisit, tum propter pænitentiam punitiuam, quæ non tanta requiritur pro peccato, pro quo iam satisfactum est, tum propter præseruatiuam si quæ requiratur: insuper propter casum reseruatum si quem incurrit. nam à non habente potestatem super

illum non potest ab eo absolui; potest autem absolutio impendi à simplice Confessario super casus reseruatos iam absolutos, quamuis inualida fuerit absolutio propter defectum pænitentis à peccatis ipsius. Vide Bass. V. Cap 1. n. 19.

Deinde instruat pænitentem; vt omittat historias & omnia superflua, atq; adeò peccata, quæ constat esse venialia: dicat autem breuiter & dilucidè species, numerum & circumstantias necessarias grauiorum peccatorum; hâc enim ratione quantumuis longi temporis confessio, non tantùm expeditè, sed etiam integrè & perspicuè fieri potest, atq; adeò magis accomodatè ad sententiam de statu pænitentis ferendam, quàm si multæ circumstantiæ non necessariæ permisceantur: quod si pænitens non sit capax huius instructionis, vt ferè contingit, ipse Confessarius instituat breue examen, sed tamen integrum, pro statu pænitentis, (dictum est supra,) reuocando omnia ad præcepta Decalogi: non tamen omnes omnia interrogandi sunt, sed ea tantùm, quæ probabiliter committere potuerunt.

Imò æquum erit Confessarijs pænitentes monere, nè Sacramentaliter vel ut absoluendas imperfectiones, quæ peccata non sunt, narrent. Quod si pænitentes illa peccata esse putent à Confessario doceantur, scelera non esse, nec deinceps indigere eas amplius subijcere confessioni, vt absoluendas; potiùs enim per orationem & mortificationem debent tolli.

Si ali-

Si aliquod graue turpeuè peccatum in confessione declarari audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat, siue spuendo, siue se cruce signando; sit potius ac si nihil audiret, dissimuletq; vsq; ad finem confessionis. Dum venereas culpas, aut fæminarum confeſsiones audit (à quibus periculum) commendet se DEO, B. Virgini, tutelari Angelo, castisq; Angelicis cogitationibus, imbecillum animum muniat.

Et quia contingit aliquando personas Religiosas & deuotas, quæ confitentur singulis octo diebus, & fortè sæpiùs, dum accedunt ad confessionem immorari tantùm, quantùm sufficeret pro facienda confessione vnius perditissimi latronis, & dant occasionem quòd obloquantur à stantibus. Tu Confessor vide, an benè hoc cedat vt tollatur ista admiratio? Postquam personam noueris, non audies nisi mortalia, si quæ habet, vel venialia grauiora; reliqua omnia facias verbo generali confiteri. Vnde impertinenter & non sine peccato faciunt, qui in confessione tempus terunt instructionibus ad hoc Sacramentum non pertinentibus, de rebus & exercitijs spiritualibus, de moribus & directione filiarum spiritualium, audientes omnia, quæ eis contingere dicunt, & de eis conferentes, de multa iactura temporis, & grauibus periculis deceptionum, propter familiaritates inutiles, quæ ex eis nascuntur.

Vnde apud viros potius quàm apud mulie-

res suam operam collocet, magis proficiens tutiùs aget. Viri constantiores sunt fæminis; nec multùm temporis impendat lubricum negotium cum fæminis, longiora colloquia miscere, cum ingenti periculo, vix minimo licito. Ne fidat muliebri ingenio, *cunctorum enim vna malorum fæmina principium.*

Qui morituri confessionem excepturus est, siue mors immineat ex morbo, siue ex vulnere, siue ex Iudicis sententia; primò transferat animum ipsius à cura rerum temporalium, ad curam animæ & salutis æternæ, ad quod expediet aliquando præscindere omnem spem vitæ longioris. 2. Excitet in ipso fidem necessariorum ad salutem spem veniæ in CHRISTVM, puram charitatem in DEVM, pænitentiam & detestationem peccatorum, saltem ex timore gehennæ. 3. Si multùm temporis suppetit, det illi spatium *recogitandi annos suos in amaritudine animæ suæ*, vt integram faciat confessionem omnium peccatorum, nam tunc maximè vrget præceptum Diuinum. 4. Hortetur illum vt dispo-nat domui suæ, prouidendo vxori, liberis, & alijs quibus est obstrictus, condat testamentum, & relinquat negotia, quàm potest liquidissimum nè detur heredibus occasio litigandi. 5. Inducat illum vt petat viaticum SS. Eucharistiæ, & Sacramentum extremæ vnctionis. Statuat item de sua sepultura, exequijs, suffragijs, &c. Vt corpori & animæ sit prospectum. 6. Si periculum est in mora, vt quia grauissimè vulne-

ratus,

ratus, vel breui priuandus vsu rationis, aut linguæ; tunc si putetur sufficienter dispositus, statim post vnum aut alterum peccatum absoluatur; reliqua audiantur per otium, prout tempus patietur, subsequente denuò absolutione.

An autem piè Confessarius in auditis confessionibus aliquid deliquerit, intuendum sibi est; sumat sibi spatium, inauditas confessiones inquirat; videat an aliquid peccauerit, doleat, expiet scelera confessione suâ, eaq; in posterum corrigere totô animô conetur. Confessarius tamen qui ex memoriæ debilitate, humanâ distractione, fatigatione spiritûs, ex nimia intentione in confessionibus audiendis & similibus caussis, omitteret aliqua examinare, vel totaliter à peccato excusaretur, vel non nisi venialiter peccaret: quia cum tanto sui incommodo & dispendio, & in cautelis quæ vix sunt in nostra potestate, nemo tenetur alienos defectus supplere.

Caueat præterea Confessarius nè alios Confessarios despiciat, temerè iudicet, maledictis proscindat, aut eorum gesta imprudenter accuset: fieri enim potest, vt prudentissime egerint: quod tamen nec pænitens, nec ipse percipit. Si alicuius crimen ex imprudenti confessione pænitentis cognoscat, Christiano animo excuset, humanæ imbecillitati adscribat, roget DEVM vt illi resipiscendi mentem instillet, sibiq; præsto sit, vt vel ex scelerum laqueis exeat, vel

nè in

nè in maiores, quàm ille inciderit, vitiorum voragines, præceps ruat. Quis enim Diuinâ ope orbatus præcipiti cursu in scelerum ambages non rapiatur, diris hostibus circumuentus?

Pro coronide horum monitorum, sciendum est (idem Bassæus ibidem) grauissima & multa inter audiendos Diuinô ritu pænitentes, flagitia committi posse: caueat proinde diligenter Confessarius nè se aliquô sacrilegiô inficiat, vel inscitiâ, vel imprudentiâ, vel omissione necessariæ interrogationis, vel non præcepta restitutione, vel indignum aliquem certô quodam pauore, sacrâ absolutione donando. Ideò fortis sit & magnanimus, nec vereatur magnitudinem cuiusquam, memor agere se causam CHRISTI, non suam, ac propterea si Vir nobilis, si amicus confiteantur, habeat præ oculis gloriam DEI, & salutem pænitentis, ad eumq; scopum suauiter & prudenter dirigat, iuxta præscriptum Concil. Trid. Sess. 14. Cap. 8. nè leuissima pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps fiat: vnde mortem magis debet oppetere, quàm homini indigno Sacramenta præbere.

QVÆRES VI.

Quomodo soluenda illa argumentatio, quâ aliqui pro defensione suæ vitæ licentiosæ utuntur: vel sum praedestinatus, vel non sum, si sum certissimè saluabor quidquid fecero; si non sum; certissimè damnabor, quidquid egero.

Re-

RESpondent Theologi inprimis istam argumentationem ex toto falsam esse; neq; enim quisquam ex adultis damnatur nisi commiserit damnanda, neq; saluatur nisi digna cælô operatus fuerit, probant id ex multis scripturæ locis Ezech. 37. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur à via sua, & viuat* Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete vobis paratum Regnum à constitutione mundi, esuriui enim &c. Ite maledicti, &c.* Ioan. 5. *Procedent hi qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem iudicij.* 2. ad Cor 5. *Vt vnusquisq; referat, prout gessit in corpore suo siue bonum siue malum.* ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* In quæ verba D. Ambros. libr. 5 de fide & gratia Cap. 3. ait. *Non enim ante prædestinauit, quam præsciuit, sed quorum merita præsciuit, eorum merita prædestinauit.* Vnde D. August. lib. de prædestinatione & gratia Cap. 15. *qui creauit te sine te, non iustificabit nec saluabit te, sine te* Et alibi: *vasis iræ nunquam DEVS redderet interitum si spontaneum non inueniretur homo habere peccatum.* Demum ijdem Doctores probant ex ijs scripturæ locis, quibus vita æterna dicitur corona iustitiæ, merces, brauium ac præmium, dicuntq; illum qui confidit se sine gratia & meritis saluandum esse in statu peccati mortalis, propter hanc temerariã præsumptionem, (nam ex DEI præscripto bona opera sunt conditio sine qua non, &c.) eô ipsô damnandum fore.

Ad maiorem declarationem horum appono hic dogma celebris hoc tempore in Sacram ſcripturam Commentatoris Cornelij à Lapide, ſupra illa verba D. Petri 2. Epiſt. Cap. 1. *Satagite magis vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hac ergo inquit ratione in cuiusq; fidelis poteſtate & arbitrio eſt, facere, vt ſit prædeſtinatus, vel vt non ſit; ſi enim velit cooperari gratiæ, ſibi à DEO ad ſalutem datæ, vſq; ad mortem vti poteſt & debet; eſt, & erit prædeſtinatus; ſi nolit non erit, quos enim DEVS præuidit cooperaturos gratiæ, hos prædeſtinauit; quos verò præuidit non cooperaturos; illos reprobauit. Quisq; ergo gratiæ ſibi à DEO ad ſalutem datæ, ſtrenuè & conſtanter cooperetur; hac ratione gratiam ſibi datam, faciet congruam & efficacem (quod DEVS vult & optat) & conſequenter erit prædeſtinatus, non reprobus; quòd ſanè dignationis diuinæ; æquè ac conſolationis humanæ pulchrum eſt argumentum.*

Idem ſuper illa Pauli. *Firmum fundamentum DEI ſtat, habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus, qui ſunt eius: & diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini,* ſic ſcribit: *à bona vita pendet reprobatio & damnatio; atqui bona & mala vita, eſt in arbitrio & poteſtate cuiuſq;; quisq; enim per gratiam DEI poteſt benè viuere, poteſt & malè ſi velit; ergo electio quoq; ad gloriam & reprobatio eſt in arbitrio & poteſtate cuiusq;.* Totum hoc ſignificauit D. Thom. Aquinas, quando ab anxia ſorore interrogatus, quomodo ſaluari poſſet? reſpondit, *volendo.*

Deinde illud argumentum non tantùm falsum, verùm etiam purum inuentum diaboli inde esse colligitur, quod ipsum Ruffinum D. Francisci Religiosum in summas animi angustias, & grauem desperationem coniecerat; & certè in vltimum interitum protraxisset, nî DEVS istum dolum sathanæ, & illius fratris periculum Diuo Francisco reuelâsset. Sanè D. August. affirmat, facto sæpiùs repetendi dilemmatis ratiocinio, Monachum vnum in suo Monasterio, eo deniq; adductum fuisse, vt deserto claustro, mundum, allia & pepones Ægypti malô perfidiæ exemplô repeteret, miserèq; ibi periret. Vbi felicitatem insanus quæsiuerat. Ex eodem Caluinus & omnes Caluinistæ, ac complures alij cornuto illo syllogismo sumpserunt cornua, facti in omnem pietatem proterui arietes: ex eadem tentatione quendam in Reuel. S. Birgittæ lib. 6. Cap. 13. legimus, esse damnatum.

Tertiò, quod valde vanum & imperitum: quasi si quis diceret: DEVS præuidit & determinauit quod triticum messurus sim vel non sim; ergo non est opus arare; si enim scit quod messurus sim, hoc certò eueniet; si nescit quod messurus non sim, frustra arabo. Similiter si dicat: si DEVS determinauit me nunc moriturum, non egeo curâ Medici, vel medicinâ; si scit me non moriturum ex hac ægritudine, superflua erit cura, quia sanabor etiam sine illa, nè fallatur DEVS.

Respondetur ergo, quod sicut scit DEVS tè sanan-

sanandum, ita scit quod per hæc media sanitatis, per hanc medici curam, & medicamenta sis sanandus; & ideò illa tibi adhibenda sunt: sic si scit te collecturum triticum, etiam scit te seminaturum & araturum, sicq; collecturum; ideoq; arare debes & seminare. Similiter si DEVS scit te saluandum, scit quod per bona opera sis saluandus, & ideò illa debes conquirere: si scit te reprobandum, scit quod propter peccata & mala opera, & ideò debes illa fugere. Licet ergo totum opus saluationis fiat per diuersa auxilia gratiæ Diuinæ iuxta illud Apost. Rom 6. *Gratia DEI vita æterna*; Et illud Ecclesiæ. *Qui saluandos saluas gratis*; attamen illa exigunt cooperationem nostram, prout orat Ecclesia illis verbis. *Quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis.* Sicut enim docente D. Thomâ DEVS per pænitentiam remissionem peccatorum, ita ex meritis gloriam dare hominibus decreuit. Certè hoc argumento Dæmon non vtitur pro parte sua; nec dicit: si iste est prædestinatus frustra laborabo ipsum tentando, quia certò saluabitur: si est reprobatus infallibiliter meus erit, non est necesse vt ipsum tentem: verùm *circuit quærens quem deuoret*, cui in viua fide resistendũ est.

Quapropter dolosum hoc argumentum ita retorquent Theologi. Primò Becanus de prædestinatione hæc habet. Si prædestinatus sum per certa media, quæ in mea sunt potestate; certissimè saluabor, si illa seruabo. Si reprobatus sum propter mea peccata, quæ liberè committam;

mittam; certissime damnabor, si illa patrauero. Tannerus quoq; disp. 5 de præd. sic ait: Certi sumus nos saluandos si vsq; in finem in bono perseueremus vti possumus, nec aliter: certi sumus nos damnandos, si culpâ nostrâ deficiemus in bono, nec aliter, & Greg. de Valentia 1. p. q. 23. disp. 1. p. 4 Si es prædestinatus, benè tibi operandū est, præuisus es enim benè operaturus; quòd si nolis operari, signum est, te non esse prædestinatum; vt ergo *certam tuam prædestinationem facias*, benè operare. Dictis verbis hunc discursum deducit Paulus Zechentner in libello dicto Vermis conscientiæ lib. 2. C. 1. § 1. Hoc dolosum argutantis dæmonis Sophisma eludere potes, telaq; in artificis sui caput itura, retorquere hoc pacto. Aut sum à DEO insertus in album cœlestium incolarum, ab omni retrò æternitate, aut inde expunctum est nomen meum. Si posteriùs hoc, & niger DEI calculus in numerum damnandorum me abiecit; id nunc saltèm agendum est, vt à vitijs & flagitijs, porrò mihi temperem, ne eô grauiùs plectar in flammis, quo plectenda sæpiùs iterauero inconsideratissimâ temeritate. Quanquam & inter reprobos me DEVS posuerit, nisi scelera fecerint reum, & voluntatis propriæ malitia, cohibenda per Diuinæ gratiæ auxiliarem manum, & libertatis arbitrium. At verò si pium numen me inter suos electos adsciuit, nondum matris vtero conceptum, nondum natum; tum verò multò maximè sum obstrictus per breuem

huius

huius vitæ periodum, quam officiosissimè obsequi, cui me video ante omne æuum, in corde castisq; amoribus fuisse. Accedit quod tametsi DEVS per seipsum decernat adultis mortalibus gratiam & gloriam, non tamen consequar otiosus, sed adlaboraturus alienæ beneuolentiæ, atq; in pietate, bonisq; meritis, vsq; ad finem, pertinaci constantiâ perseueraturus.

Vnde etiam pessimè sic concludes: si sum olim in felici cælitum societate futurus, iam possum omnem salutis meæ solicitudinem abijcere, viuere licenter, amandare in exilium probitatem; seueriores Numinis leges explodere, proteruiùs cum DEO ludere.

Addit Bress. lib. 2. Cap. n. 95. Si cui reuelata esset reprobatio seu futura damnatio, eum non debere, imò nec posse absolutè sperare gloriam, adeoq; de ea posse positiuè desperare tanquam futura; non tamen tanquam de impossibili, quia reuera simpliciter, & in sensu diuiso maneret possibilis; quare etiam peccaret is, se reddendo eâ indignum, teneretúrque vitare peccata, nec se indignum reddere: quia vt Bannes inquit prima p. The. DEVS habet mille modos saluandi hominem.

Pulchrum est, atq; solatio plenum, quod Ludolphus de quodam Monacho posteritati cõsignauit. Huic suus Socius quod à DEO semel acceperat, candidè dixit ipsum esse de numero reproborum. Et ô qualem nuntium tulit? quàm grauem?.. neq; tamen aliter fulmi-
natus

natus erat, tàm manifesto Diuinæ vocis oraculo, neq; vellere capillos cæpit, fædare lachrymis vultum, & àèrem fæmineô vlulatu adimplere: quin potiùs medicinam pusillanimitati reperit opportunam; & benedictus, aiebat DEVS; nec sic desperabo; sed pænitentiam quam per ingressum Religionis assumpsi, de cætero duplicabo, & triplicabo; donec gratiam & misericordiam apud DEVM Altissimum, qui pius est inueniam. Et hem! qui nuper fulmen tulerat, rediijt postliminio cum palinodia. sodalemq; suum affirmat esse in societate beandorum; ita nunc à DEO se edoctum.

Deinde etsi nulla expectaretur salus æterna, attamen recta ratio dictat seruiendum esse DEO, ac præcipienti obtemperandum, tum propter summam ipsius excellentiam ac Maiestatem, tum propter tot beneficia, creationis, conseruationis, redemptionis, aliaque in nos collata.

Habemus in speculo exemplorum de quodam Eremita, qui istud peruersum argumentum per istam doctrinam, contra ipsum dæmonem conuertit, ex ipsoq; laudabilem victoriam obtinuit: hic nequam veterator inuidens huic bono adolescenti profectum quem eximium in virtutibus, cum magno cumulo meritorum faciebat, apparuit eius seniori in specie Angelica eum certificans, de certa damnatione huius sui discipuli, ne quicquam contra prædestinationis Diuinæ decretum proficientibus suis meritis: hoc nuntio infausto perculsus senex, quoties illum inue-

nem aspiceret à lachrymis sibi temperare præ dolore ex deceptoria prophetia sibi impressis non poterat. Aduertens ille iuuenis ex sui conspectu senis notabilem mærorem toties augeri, tandem importunus extorsit illius causam : nempe sui futuram damnationem, suos frustraneos conatus circà suam salutem ac DEI seruitium. Verùm animus ille, fidelis serui DEI minimè mercenarius, nihil illo infelici effato prostratus, ad maiorem DEI amorem se excitauit, dicens : si ergo illuc debeo iustô DEI decretô descendere, vbi DEVS blasphematur, ideò hic quàm diu superuixero magis magisq; DEVM tàm bonum adamabo, glorificabo, ac totis viribus ipsius beneplacitis me impendam, siquidem ille est dignissimus omni amore, honore, & obseruantia, quæ in inferno præstare non valebo. Ex hac protestatione optimè dispositi animi huius iuuenis ergà Diuinam Maiestatem, postea à bono Angelo reuelatum fuit; iuuenem plus promeruisse illo actu dilectionis DEI, quàm per omnes anteactæ vitæ suæ sanctè expensos labores.

Deniq; si per impossibile neq; dignitas DEI, neq; ipsius amor, neq; tot beneficia à DEO nobis præstita nos ad hoc obligarent, vt ipsi omnem obedientiam, reuerentiam & amorem præstaremus : nihilominùs ipsa naturæ humanæ nostræ conditio, quæ dictat malum esse fugiendum, bonum faciendum, nos ad hoc adigeret, vt saltèm postpositis carnalium affectuum propensionibus, honestam vitam semper duceremus.

Dices;

Dices; legimus aliquos per totam vitam suam rectè vixisse, in fine tandem subuersos miserè perijsse, & è contra. Vnde apparet ideò illos perijsse, quòd non fuerint prædestinati, hos saluatos ob prædestinationem. Respondet CHRISTVS Dominus in Reuel. S. Birgit. lib. 5. Inter. 13. Id non esse propter vim prædestinationis, sed propter ingratitudinem & negligentiam hominis, qui non attendit qualia accepit, nec illa DEI dona solicitè custodit. Quia verò non omnibus datur æqualis processus & gratia; hoc est (inquit) occultum iudicium meum, qui scio & moderor vnicuiq;, quod ei expedit & debetur, qui & restringo conatum hominis ne profundiùs cadat. &c. Vnde ad dilucidanda supradicta subiungo hîc aliquot loca ex ijsdem Reuel S. Birgit. dicitur enim lib. 4. Cap. 67. *Animæ rationes præscitæ sunt à Deitate mea, quales futuræ erant præcognitæ, quibus tamen præscientia mea, in nullo obfuit, nec obest, quia eis dedi liberam voluntatis suæ motionem, id est liberum arbitrium & potestatem quicquid eas delectat, agendi; nec in aliquo poterit præualere diabolus, nisi voluntas fuerit vitiata. In hoc igitur quòd ego patienter sustinui Saulem, demonstratur ingratitudo Saulis, & patientia Deitatis meæ; quòd verò Dauid electus est ostenditur præscientia mea, & humilitas futura Dauid & contritio eius. Ergo quod aliqui indurantur hoc facit voluntas hominis mihi contraria: quia licet ego volo omnes esse saluos, tamen non perficitur, nisi homo personaliter cooperatus fuerit, conforman-*

do omnem voluntatem suam voluntati meæ. Cuius voluntas præuidetur feruentior, & humilitas & stabilitas constantior, huic accedit gratia in principio, & subsequitur in finem.

Inde apparet Diuinam præuisionem ac prædestinationem in nulla re præiudicari libero arbitrio hominis, nec minorem iniuriam à Deo ipsi fieri, quam sit facta Angelo in cælo vel diabolo ruenti. (*Reuel. S. Birgit. lib.* 1. *Cap.* 1. *Cap.* 34. *lib.* 5. *Interr.* 8. *& in alijs locis*) illudq; dictum a Deo ad Cain Gen. 4. prolatum, quod ad omnes homines DD. referri putant: *Necne si benè egeris recipies; sin malè statim in foribus peccatum aderit.* Tam verùm esse ab æterno quàm in tempore. Et ex his posſunt facilè solui obiectiones, quæ in contrarium ponuntur.

Sit ergo conclusum istud argumentum: aut sum prædestinatus, &c. esse de toto falsum, imperitum, & meram deceptionem diaboli: proinde illis qui nunquam mortaliter peccârunt, bonis operibus (nam sic magis sunt Deo propter innocentiam obligati quàm peccatores) ad finem esse feruenter & vigilanter insistendum; peccatoribus autem dignos fructus pænitentiæ faciendos; tepidis autem & frigidis, Devm supplicibus votis exorandum, iuxta doctrinam S. August. tract. 26. in Ioan. *Semel accipe & intellige; non traheris, ora vt traharis.* Omnes enim Devs sincerè vult saluos fieri, indeq; sufficientia media prout cuique videt expedire porrigit: contra contemnentes illa grauiter expostula-

turus.

turus: *Quid vltra vobis debui facere & non feci. Vocaui vos & renuistis. &c.* Vnde clarè omnibus in iudicio vniuersali patebit illud Apoc. 16. *Vera & iusta sunt iudicia DEI.*

QVÆRES VII.

Quid consolationis dandum illis, qui de sua perseuerantia diffidunt?

RESP. Cum concil. Trid. S. 6. Cap. 13. *De perseuerantiæ munere de quo scriptum est, qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit, nemo sibi aliquid certitudine absolutâ polliceatur; tametsi in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: DEVS enim nisi ipsius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet.* Et licet DEVS temporalia bona, & quædam spiritualia non eâdem libertate omnibus promiscuè largiatur, vt potè non omnibus æqualiter profutura, multis etiam obfutura; nihilominùs alia est ratio cum salute nostra & eius anteambulone perseuerantia: nam quisquis hæc spiritualia & cælestia munera sincerè petit; de impetratione optimè confidere debet. Est enim probata Theologorum sententia, iustos homines per preces Numini fusas, aliaq; pia in hunc finem frequentata opera, obtinere posse apud DEVM, vt in gratia eius vitam suam finiât, quod ipsum est perseuerare.

Et sumitur hæc doctrina ex Angelico Doctore 1. 2. q. 114. art. 9. cuius sunt ista: *Perseuerantiæ donum aliquis petendo a DEO impetrat*

 sibi

ſibi & alijs. Intellige tamen vt non vanis precibus à DEO velit extorquere finalem perſeuerantiam; cum neceſſarium ſit, vt pia vita fulciat orationem: nam præmonet DEVS per Iſaiam Cap. 1. *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Quod ſi quis de ſuæ vitæ innocentia diſſidat, oret, vt oretur pro eo: ſiquidem in hiſtorijs Eccleſiaſticis legimus alienas preces magnum monumentum alijs contuliſse ad perſeuerantiam & ſalutem.

Nec etiam facilè, qui habet deſiderium, & bonam voluntatem ad DEVM, in peccatum mortale labitur: hoc inſinuat CHRISTVS B. Mechtildi Spir. gratiar. lib. 1. Cap. 21. *Cor beneuolum & benè paratum de facili me non amittit, & cogitationes inutiles, quæ illi improuiſo eueniunt, quaſi nullius delicti ſunt: ſi tamen non ſpontè & cum deliberatione, poſtquam aduerterit, eis immoratur.* Inſuper contra hanc tentationem cuidam per eandem Virginem ſanctam miſit tale remedium lib. 4. Cap. 7. *Sæpius legat hunc verſum Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Et ſi quando inciderit menti eius, vt cogitet ſe non pertinere ad electos, faciat more hominis, qui eſt in valle tenebroſa. Hic ſi libenter videret ſolem, de valle in montem aſcenderet, & ſic tenebras euaderet; ſic & ipſa cum inuoluitur tenebris triſtitiæ, aſcendat in montem ſpei, & oculis fidei me aſpiciat cæleſte firmamentum, cui omnium*

electo-

electorum animæ vt stellæ sunt infixæ, &c. Vnde bonum est homini, vt sæpè recogitet, quàm gratuitâ bonitate ipsum elegi, quàm miris & occultis iudicijs in peccatis existentem, vt iustificaretur respexi, & quam amanter de ipso cogitans, omnia etiam mala sua, ipsius in bonum commutaui; & benedicet me æternam firmitatem electorum, in hoc autem verbo. Benedicant te omnes Angeli & Sancti tui, desideret omnes Angelos, & Sanctos, me, secum pariter collaudare.

CAVTELA.

De hac materia.

PRæmonent Doctores de prædestinatione in concionibus, parcè ad populum sermonem esse habendum, ne fortè parum intelligentes discursus Theologicos, in aliquos errores desperationis, vel in salutis suæ incuriam incidant. Deinde non multum curiosè mysteria prædestinationis Diuinæ à nobis sunt indaganda, dicit enim August. Si non vis errare, noli indagare: siquidem ista sunt vt præcauet Bellarminus in Ascension. in DEVM Grad. 13 Secreta altissima & profundissima, quæ Pater posuit in abysso sapientiæ suæ quam Apost. non aperit, sed miratur cum dicit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI &c.* Hoc solùm nobis scire licet apud DEVM nullam esse iniquitatem, & in nouissimo die neminem futurum qui non possit iure dicere: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Ac propterea hoc secretum nobis vtile esse, cum

hinc fiat vt nullus improbus de salute desperet, nullus probus de salute certa præsumat, atq; etiam vt Viri probi, de nullius improbi conuersione diffidant, pro omnibus orent, ac de omnium salute soliciti sint. E contra quantumuis bonus & sanctus, non insolescat, cum nullus sciat quid crastina dies allatura sit. Sed omnes cum metu & tremore salutem suam operentur. Deniq; hortatur sapiens. *In pluribus operibus DEI non sis curiosus, sed quæ tibi præcipit DEVS, illa cogita.* Quæ autem illa sint, ostendit DEVS per Oseam. *Indicabo tibi homo, quid sit bonum & quid DEVS requirat à te, vtiq; facere iudicium, diligere misericordiam, solicitum ambulare cum Domino.*

Nempe vt tecum rigidiùs procedas tanquam judex, cum proximo benignè, tanquam mater, cum DEO reuerenter, tanquam probus filius, aut saltèm tanquam seruus fidelis; sedulò prospiciens ne quid contra Diuinam voluntatem, agas, imò omnia, ad placitum eius studiosè, peragas.

Ad pacificandas turbationes circa hanc materiam afferunt aliqui hanc similitudinem. Habet *v.g.* probus filius, parentem sui amantem; seruus fidelis bonum Dominum: nescit filius quid de se cogitet Pater; ignorat seruus quò diuertatur à Domino; nihilominùs sciens filius de amore Patris erga se, seruus cognoscens fauentem sibi Dominum; hic Dominum suum, ille paren-

parentem, amant, honorant, illis obſequuntur, ac bona ſibi de ipſis pollicentur: ita quoq; tu licet tibi ſit ignotum, quid DEVS ſtatuerit de te; quia tamen credis & credere debes, quod ſit Clementiſſimus, tui amantiſſimus, hucusq; tibi ſua beneficia præſtat, &c. debes ſentire de eo in bonitate ac ſimplicitate cordis, ipſiq; pro viribus ſeruire, & tunc tibi omnia ſalua fient. Nemo igitur (addit Marchan. in Hor. paſt. tract. 2. de fide Chriſtianâ) debet anguſtiari aut fluctuare; quod neſciat de quo numero ſit; ſed inter manus Domini IESV CHRISTI ſe ex toto corde, & ſalutem ſuam collocare debet, & dicere, quod olim Ægyptij ad Ioſeph: *Salus noſtra in manu tua eſt, tantùm reſpice nos & læti ſeruiemus Regi.* Optimè ſalutis noſtræ negotium conſtituitur, in manibus illis, quæ pro nobis fixæ ſunt, vt vincula noſtra ſoluerent, in manibus illis, quæ (vti ait Bernar. Serm. 61.) *miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant:* Meliùs in illis eſt, quàm in noſtris, non ergo turbemur. Clamat clauus, clamat vulnus, quod verè DEVS ſit in CHRISTO, mundum reconcilians ſibi, vbi enim tutiùs collocaremus. *In manibus tuis ſortes meæ* (ait Pſal. 30.) *Domine & tempora mea.* Ibi tutò collocabat Paulus animam ſuam, omniumq; meritorum ſuorum pretioſum theſaurum, dum dicit: 2. Tim. 1. 12. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus Iudex.*

Exemplum huius ſingulare refert Thom. à Kem-

Kempis Imit. Christ. lib. 1. Cap. 25. Religiosus quidam fluctuans & anxius inter spem & metum, quadam vice mærore affectus Ecclesiam ingrediens ante altare prostratus hæc intra se dicebat. O si scirem quòd adhuc perseueraturus essem? statimq; audiuit Dominicum responsum. Quid facere velles si id scires? fac nunc quod facere velles, & securus eris. Moxq; consolatus, Diuinæ se commisit voluntati, & cessauit anxia fluctuatio, noluitq; inuestigare quæ sibi essent futura? sed magis studuit inquirere, quæ esset DEI voluntas beneplacens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum?

CAPVT IV.

De iuuandis Pænitentibus in Profectu vitæ Christianæ.

§. I.

De obligatione proficiendi in vita Christiana.

QVÆRES I.

Quid sit vita Christiana?

RESP. Vitam Christianam in actu signato nihil aliud esse, quàm obseruationem legis CHRISTI: sicut enim vita humana ab obseruatione legis naturalis, quàm DEVS rationi indidit, dependet; sicut olim verum Israelitam obseruatio legis Mosaicæ ostendebat; ita modo adimpletio legis Euangelicæ, verum Christianum efficit.

efficit. Vnde & ipse CHRISTVS illos, tantùm veros sui sequaces, discipulos, & amicos agnoscit, qui non secundùm se, aut suas concupiscentias, aliosuè respectus humanos; verùm iuxta sua præscripta viuunt; dicit enim Ioan 8. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Et 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.*

Porrò CHRISTVS suæ legis Euangelicæ præcepta triplicia reliquit, nempè Fidei, Moralia, & Sacramentalia. Sacramentalia de nouo instituit. Fidei verò clariùs, quàm fuerant in veteri testamento declarauit, vt potè de Sanctissima Trinitate, Incarnatione, Redemptione, &c. Moralia quoq; sublimauit, præcipuè quoad vitam spiritualem, quam ipse à nobis principaliter requirit. *v. g.* non propter diuitias, aut gloriam hominum sed principaliter propter DEVM, malum fugiendum, bonum faciendum: quando dicit Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram coram hominibus faciatis, vt videamini ab eis, &c.* Nemini dandum esse scandalum: *væ mundo à scandalis* Matth. 18. Affectum iræ comprimendum. *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, &c, Vade priùs reconciliari fratri tuo, &c.* Matth. 5. Iudicium temerarium esse vitandum *Nolite iudicare, &c.* Luc. 6. Inimicos diligendos. *Benefacite ijs qui oderunt vos.* Amorem sui inordinatum cum illicitis desiderijs mortificandum. *Qui amat animam suam perdet eam.* Ioan. 10. In sermone circumspectionem seruandam. *De verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij.* Matth. 12. Affe-

ctum inordinatum ad propinquos procul seponendum. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, &c. non potest meus esse discipulus* Luc. 14. Internos motus libidinis frænandos, sensus corporis moderandos. *Sint lumbi vestri præcincti, &c. Qui viderit mulierem, &c.* Luc. 12. Nimiam solicitudinem temporalium fugiendam. *Nolite soliciti esse, &c. Non potestis DEO seruire & mammonæ. &c.* Matth. 6. Occasiones peccati etiam gratissimas præscindendas: *Si oculus tuus scandalizat te,* Matth. 18. Fraternam correptionem adhibendam: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum* Matth. 18. Acediam vitandam, bonis operibus incumbendum. *Vigilate. Negotiamini dum venio, &c. Discedite à me maledicti* Matth. 15. Item Sacra non esse danda indignis, vt potè pias admonitiones, Sacramenta, &c. Salutem animæ procurandam magis, quàm omnia bona mundi. In spiritu & veritate DEVM adorandum, sæpiùs orationi vacandum, humilitatem sectandam, Pænitentiam agendam & his similia, quæ passim apud Sanctos Euangelistas, & in Epistolis Apostolorum, videre licet.

Has autem suas leges CHRISTVS in vnam generalem legem intrinsecam charitatis; videlicet in efficax desiderium placendi per omnia DEO, redegit quod in sua Oratione Dominica, & in illis verbis Luc. 12. conclusit: *Veni ignem in mundum mittere, & quid volo nisi vt accendatur.* Equidem hæc lex CHRISTI, nimirum ardor placendi in omnibus DEO, si seriò & constanter tàm

in pro-

in prosperis, quàm in aduersis: postpositis omnibus respectibus amoris proprij, aut fauoribus hominum obseruetur; tantùm poterit efficere, quantùm nullæ aliæ leges etiam Sanctissimæ, vigilantissima superiorum cura, solicita & exacta directio correctio opportuna, aliorum probatissima exempla; insuper nullæ pœnæ, vel præmia legislatorum, Magistratuum, &c. in quopiam efficient. Nam hæc interna charitatis lex (prout Gaudier de Natura Perfect. Parte 3. Cap. 6. benè aduertit) pericula propulsare, excogitare præscribereq; media ad perfectionem efficacia, & ad eorum executionem vrgere, & applicare voluntatem, non tantùm spontè, & liberè; sed etiam suauiter & iucundè poterit: vt potè præ cæteris fortiùs & suauiùs animos & corda hominum penetrans & efficiens.

Ideoque Sancta Ecclesia in illo Psalmo 118. quem per Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, horarum Canonicarum distribuit; hoc sanctum desiderium efficaciter adimplendi beneplacita DEI; in nobis quotidie excitare contendit. Hic Psalmus continet in se versus 170. & nullus ferè est, qui non faciat legis vel mandatorum, vel sermonum, viarum DEI, iustificationum, &c. testimonium vt per hoc ostendatur, nos nihil aliud in vita hac desiderare debere, nullumque alium finem Orationis esse, quàm vt Domino DEO in omnibus placeamus. Idem desiderium CHRISTVS lib. 4. Reuel, S. Birgitthæ Cap. 115. vocat *Cor animæ*,

Vita

Vita autem Christiana in actu exercito nihil aliud est, quàm constans exercitatio bonorum operum, quâ DEO propter DEVM famulamur iuxta præscriptum CHRISTI. Hæc definitio continetur in illis verbis Apost. ad Titum 2. *Christus dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret populum sibi acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Dicitur autem in definitione, constans exercitatio: ad differentiam eorum, qui cum Pharaone, Saule, Herode, &c. quandoq; compunguntur, sed postea vti homines animales ad sua desideria peruersa quæ nolunt dediscere, aut deserere, redeunt; indeque tanquam canes ad vomitum, aut porci ad volutabrum peccatorum mortalium reuertuntur; quorum vita non est verè Christiana vita; siquidem lethargo mortis spiritualis consopita, mortem secundam damnationis æternæ (nisi DEO excitante resipiscant) pro certo expectāt Et licet propter Baptismum, Fidem, Spem, dicantur Christiani, non tamen sunt amici CHRISTI, quem factis negant; alijs quandoq; scandala diuersa præbent, &c. Tales sunt ante CHRISTVM (vti habetur lib. 1. Reuel. S. Birgitthæ Cap. 37.) iniustiores iudicantibus eum, immitiores crucifixoribus eius, impudentiores venditoribus eius, & maior pæna debetur istis, quàm illis. Dicitur bonorum operum: nam Christiano non est satis declinare à malo, nisi etiam faciat bonum: per opera autem hîc intellige etiam actiones internas, vtpotè pias cogitationes, desideria, sacras

medita-

meditationes, actus internos virtutum, qui non tantùm sunt meritorij vitæ æternæ; verùm etiam actus exteriores suâ bonitate informant. Ideoq; Apost. 2. ad Titum in descriptione vitæ Christianæ præter abnegationem impietatis, & sæcularium desideriorum, ponit virtutem temperantiæ, iustitiæ & pietatis, tandem opera exteriora bonitate virtutum interiorum imbuta. Dicitur quâ DEO propter DEVM famulamur, vt excludantur illa opera, quæ vel propter lucrum temporale, aut honestatem animi, quæ etiam Pagani & Hæretici faciunt, exhibentur. Dicitur deniq; iuxta præscriptum CHRISTI, ad differentiam Gentilium, qui olim ex dictamine legis naturalis iuxta instituta à DEO illuminatorum, ritè vnum DEVM colentes, actus virtutum moralium exercebant; & ad discrimen gentis Hebraicæ, quæ laudabiliter propter DEVM secundum legem Moysis bonis operibus intendebat: demum ad differentiam illorum Christianorum, qui licet propter DEVM aliqua operentur, nihilominùs illa iuxta suam voluntatem faciunt.

Porrò CHRISTVS vitam nobis à se traditam, in tres partes, in quibus præcipuè placere possumus DEO, diuisit. Prima est, abstinentia à naturalibus inclinationibus ad malum. Secunda, tolleratio difficultatum circa virtutes. Tertia, imitatio CHRISTI ipsius, in agendo & patiendo. Ita enim dicit Matth. 16. & Luc. 9 *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.* Ex quibus

si vna

si vna desit in aliquo, vita etiam verè Christiana in ipso desinit. *Nisi enim quis* (D. Gregorius Homilia 32.) *à semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est, non appropinquat : tunc ergo nos relinquimus & abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, ad quod per nouitatem vocamur*. E. G. non potest quis actus humilitatis exercere, nisi prius ab affectu & prosecutione honoris abstineat, & patienter sustineat contumelias, iniurias, contemptus : nec poterit fraternæ charitatis officium prosequi; nisi ab oblectatione ex alieno malo proueniente sese abstineat, sustineat illam animi ægritudinem, quæ ex alterius felicitate posset oboriri : non potest mansuetus esse, quàm abstinendo ab vltionis voluptate, & sustinendo sibi illatæ iniuriæ molestiam. Castitas quoq; non aliter hostem suum compescit, nisi dum libidine abstinet, & generosè sustinet ortas à continentia difficultates. Quis vsus temperantiæ, nisi vt abstineas ab immoderato, aut nimis exquisito cibo, potuq; & ieiunia sustineas paruo contentus? Amorem sincerum erga DEVM nemo poterit obtinere, nisi amorem sui inordinatum in se compescat, & difficultates, in honore DEI procurando, perferat ac superet. Idem de alijs actibus virtutum est censendum, qui nullô modô poterunt exhiberi, nisi per abstinentiam vitiorum sibi oppositorum, & tolerantiam acerbitatum, patientiam aduersitatum, etiam ipsius mortis, ne gratiam DEI amittamus, vel si nos fuerit necesse opponi pro honore

DEI. Ad hæc tria puncta videlicet abstine, age, sustine, aliqui omnia S. Euangelij moralia dogmata reuocant, & in ipsis conclusa esse volunt: Ita vt si quis ad exemplum CHRISTI, feruenti desiderio placendi DEO, non quæ grata animo, vel carni, vel sibi ipsi; sed quæ sunt accepta DEO seriò inquirat; nec in procurando honore DEI, & bono proximorum, respectu DEI, laboribus parcat; & in acerbissimis casibus voluntatem suam Diuinæ voluntati plenè resignet; perfectionem Christianam consequi censeatur. Verùm hæc infra latiùs declarabuntur.

Vt autem nos CHRISTVS ad sua præcepta adimplenda suauiùs alliceret, priùs ipse illa fecit, quàm docuit, post ad sequendum se, suos cultores inuitauit dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Exemplum dedi vobis, &c.* Et ne quis hæc verba ad solam lotionem pedum referri putaret. D. Petrus 1. Petri 2. illa ad alia ampliat. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, qui cum malediceretur non maledicebat, &c. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Proinde vita Christiana vocatur imitatio CHRISTI, in abstinentia voluptatum, in tollerantia aduersorum, & exhibitione bonorum operum, propter honorem DEI: & ideò iste, qui recusat

bona agere, & mala pati, propter DEVM, cælum, virtutem, non ſcit quid ſit eſſe Chriſtianum?

QVÆRES II.

An teneantur omnes in vita Chriſtiana proficere?

RESP. Ex Euangelio per verba CHRISTI; *niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum* Matth. 18. Equidem Apoſtoli iam fuerant ad CHRISTVM conuerſi, nihilominùs, quia adhuc laborabant aliquibus vitijs, jubet eos CHRISTVS redire ad innocentiam paruulorum; & proſequi Heroicos actus virtutum, prout in eodem Capite videre licet. Ad quæ verba CHRISTI aduerte, illa ſub eâdem obligatione poni à CHRISTO, ſub quâ etiam illa protulit: Ioan. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.* De hâc obligatione profectûs, paſſim SS. Doctores. Non enim nos DEVS vocauit ad otium, aut delicias; ſed ad laborem in honorem ſui, & proximorum vtilitatem reſpectu ſui, ad mortificationem naturæ noſtræ peruerſæ, ad voluntariam tollerantiam aduerſitatum: ideóque vita Chriſtiana in Sancta Scriptura, vocatur via, peregrinatio, curſus, crux, militia, certamen, operatio, negotiatio ſpiritualis. Deinde ſicut homo non ideo naſcitur, ac neceſſarijs vitæ vtitur, vt morbidus, languidus, ac defectuoſus maneat; ſed vt ſanus creſcat, recta operetur, & in virum perfectum

euadat. Ita nos non propterea vitam Christianam assumimus, vt perperam res nostræ vocationis peragamus, vel in benè cæptis deficiamus; verùm vt magis, magisq; in innocentia paruulorum, in sanctitate & justitia coram DEO proficiamus; vel vt S. Paulus dicit ad Ephes. 1. *Sancti & immaculati simus.* Hujus etiam profectûs in Baptismo commonemur, nam præter abrenuntiationem diabolo, & pompis & operibus eius, vngimur oleo sancto, vt tanquam fortes Athletæ pugnemus contra mundum, carnem, & ipsum diabolum: præter adhæsionem, per Fidem, Spem, Charitatem DEO Trino, & vni; linimur Chrismate, vt nos meminerimus CHRISTO tanquam Capiti nostro insertos, nunquam ab eo debere per contrariam ipsi vitam diuelli: præter impositionem vestis candidæ, quâ acceptam in Baptismo innocentiam jubemur immaculatam perferre ante Tribunal CHRISTI; etiam nobis datur, accensus Cereus, vt irreprehensibiles custodiamus Baptismum nostrum, seruantes DEI mandata vsq; ad mortem: vbi etiam nomine Ecclesiæ, pro quolibet qui baptizatur orat Sacerdos, vt careat fætoribus cupiditatum, sitq; spe gaudens, Spiritu feruens, DEI nomini semper seruiens; quæ omnia pueris cum ad vsum rationis veniunt declaranda sunt, ac omnibus adultis; præsertim in Anniuersario dedicationis Ecclesiæ rememoranda.

Demum, quia in Euangelio seruus inutilis

ligatis manibus ac pedibus proijcitur in tenebras exteriores, ac velut arbor sterilis excinditur, & in ignem mittitur; nec otiosis dicetur in die Iudicij, venite benedicti, sed ijs, qui bona egerunt in hac vitâ.

QVÆRES III.

Quæ sit Regula vniuersalis vitæ Christianæ?

RESP. Esse voluntatem DEI: CHRISTVS enim ita legem suam & vitam ordinauit, vt per eam, nostram voluntatem distortam, & DEO contrariam; voluntati DEI rectissimæ subijceret, nosq; per peccatum originale à DEO alienatos, ad eundem reduceret. Qua de re DEVS Pater. S Catharinæ Senensi, in hæc verba: Respice in faciem CHRISTI mei, in quo mihi bene complacui: ipse namq; exinanitus seruili formâ acceptâ, factusq; in similitudinem carnis peccati est, vt vos cæcâ caligine obrutos, & à via veritatis auersos, suæ lucis splendore illuminans, ad rectum iter & verbo conuerteret & exemplo. Obediens fuit vsq; ad mortem, sic suâ perseueranti obedientia vos edocens, salutem vestram ex faciendæ solius voluntatis meæ stabili instituto pendere: nam si quis diligenti studio & consideratione ipsius, tum vitam, tum doctrinam meditari velit; perspiciet procul dubio mortalium integritatem, perfectionemq; nullâ re aliâ constare, quam in jugi, perpetua ac fideli meæ voluntatis obseruatione, quod idem Dux vester toties attestando repetit.

Ait enim. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum; sed omnis qui fecerit voluntatem Patris mei.* Et attende, quod non frustra repetit bis, Domine, Domine, quoniam cum omnis transitoria conditio ad duo vniuersalia generalia reducatur, Religiosum scilicet & sæculare: significare vult, neminem cuiuscunq; conditionis sit, æternæ vitæ gloriam consecuturum, licet omnem mihi extrinsecus honorem exhibeat; nisi meam fecerit voluntatem. Item alio loco. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris.* Et iterum: *Meus cibus est vt faciam eius voluntatem qui misit me.* Item: *Non mea voluntas, sed tua fiat. Et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Si vis ergo Saluatoris tui exemplum imitando, meam facere voluntatem, quâ constat, esse bonum tuum, necesse est, vt tuam omnibus in rebus prorsus contemnas facere voluntatem, illamq; abneges & extinguas, quoniam quantò magis morieris in te, tantò magis viues in me, & quò purgatiùs eijcies quod tuum est, eò abundantiùs ipse reponam quod meum est.

Quapropter quisq; attendat docente S. Paulo ad Rom. 12. in singulis, quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta, & suam ei per legem & exemplum CHRISTI accomodet, actualiter eam conformitatem expresse intendendo, in singulis vitæ actionibus, tam circa bona, quàm malà, in particulari volendo bonum, & nolendo malum, siue hoc, siue illud,

quia DEVS vult, & non vult, applicando Diuinæ voluntatis Regulam voluntati suæ, & suam illi aptando, plusq; se oblectando voluntate DEI, quàm illa sua operatione.

Porrò voluntas DEI non tantùm nobis innotescit per legem CHRISTI, & ejus consilia, verùm etiam per inspirationes Spiritus S. per directionem superiorum, per ipsos euentus, quos DEVS contingere permittit in rerum humanarum gubernatione. Quod si in aliquo casu dubium occurrat, quæ sit voluntas DEI, tunc id eligatur, quod magis vergit in laudem DEI, aut proximi vtilitatem, non in proprij appetitûs complacentiam; vel ex quo in hora mortis maiorem consolationem sit habiturus; quod si adhuc dubium persistat, tunc in id propendat animus, per quod se statuat in infimo loco, donec Dominus suô lumine ad altiora ascendere jubeat.

QVÆRES IV.

Quis Finis profectûs vitæ Christianæ, & in quo consistat?

RESP. Præter illum remotum qui est vita æterna; immediatus finis vitæ Christianæ est perfectio Christiana: sicut enim motus pro suo fine habet quietem quâ perficitur; exercitatio artis, consumationem sui; accensio lignorum, incendium perfectum eorum; ita profectus vitæ Christianæ, perfectionem sibi debitam, vel vt S. Thomas 2, 2. 4. 184. artic. 4. *Sicut augmentum corpo-*

corporale pro termino sibi præfigit statum perfectum naturæ; ita augmentum spirituale, statum internum perfectionis (nam alij sunt status exteriores perfectionis, de quibus idem, ibidem) *hæc autem perfectio non in alio aliquo consistit* D. Thomas citatus artic. 1. *quam in Charitate Theologicâ.*

Charitas enim hominem cum DEO vltimo fine & bono suo, magis quàm fides, spes, & religio coniungit, acproinde hominem ex se imperfectum perficit. Sicut enim arbor à radice præcisa, manus sine Capite, infans absq; Matre, & alia suô principiô & fine destituta; manent imperfecta & misera: ita homo sine DEO, imperfectissimus & miserrimus existit, ipsius actiones, possessiones, bona animi, & corporis, &c. quæ ad placitum DEI non diriguntur sunt vana, imò ipsi perniciosa: DEO autem per charitatem vnitus felix & beatus.

Et quamuis in hac vita rebus istius mundi, quatenus aliquod vestigium Diuinæ bonitatis præseferunt, videat sibi esse contentus; nihilominus in altera ab eorum vsu totaliter sequestratus, & carens diuinâ charitate; miserior erit (vti CHRISTVS D. *Birgitthæ* in suis reuelationibus) illô catulô qui recens natus, matri suæ ademptus, cæcus in foueam projcitur, vbi quærit vbera, aut aliquod solatium matris, nec vllum inuenit: quæ similitudo benè percipienda. Da mihi (inquit Gaudier primâ parte de Perfect. Cap. 12.) destitutum hominem omnibus vitæ huius bonis, da oppressum omnibus malis, da

ab omnibus desertum; si tamen Dei sit amicus, is certè beatissimus re ipsa est. Da contra, Principem, da Regem, da Imperatorem vitæ huius bonis quibusuis ad satietatem vsq; pro arbitrio abundantem; fac tamen eum destitui gratia Dei, & illum coram Dei Tribunali statue, nonnè meritò infelicissimum putabis? *Quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* & Deo suo, eiusq; æternâ amicitiâ? Licet autem in aggregatione omnium virtutum, perfectio hominis possit inueniri, illa tamen sine charitate erit (vt tenet D. Thom. 22. q. 184. artic. 1.) secundum quid, vt potè ad vltimum finem suum non directa, D. Paulus etiam ipsum Martyrium sine charitate, siue sine verâ amicitiâ erga Devm nihil prodesse; audacter asseuerat.

QVÆRES V.

An hæc perfectio sit præcepta, seu de necessitate salutis?

Resp. Perfectionem adhærendi Deo per charitatem omnibus Christianis esse mandatam, ex varijs scripturæ veteris, atq; nouæ testimonijs discere possumus. Nam inprimis omnium fidelium Parenti Abrahæ à Deo dictum est Genes. 2. *Ambula coram me & esto perfectus* deinde in Deut. 18. toti populo Israëlitico imperatur, *Perfectus eris, & absq; macula cum Domino DEO tuo,* & alibi. *Non erit inconsummatus in*

Filijs

Filijs Israël. Tum CHRISTVS in suo Euangelio, eius præcursor S. Ioannes; missus est teste S. Lucâ. Cap. 1. *In spiritu Eliæ parare Domino plebem perfectam*. Apostolus verò in altera ad Cor. Cap. 13. *De cætero* (*inquit*) *fratres gaudete, & perfecti estote*. Et in Euangelio ad hoc laborauit, vt exhiberet omnem hominem perfectum in CHRISTO IESV. Vt autem intelligatur quæ charitatis perfectio cadat sub præcepto, notandum est ex D. Thoma citato artic. 2. Tres status posse charitatis distingui, vt primus sit eminens, in quo homo per tantam æstimationem, talem complacentiam, & tam beneuolum affectum DEO adhæreat, vt licet actu frequentiore res suas non referat in obsequium DEI; nihilominùs à se, suoque affectu excludit omne id, quod contrariatur amicitiæ DEI; vti est peccatum mortale, & quæ proximè disponunt ad illud, malitq; omnia bona relinquere, omnia mala perferre, quàm per notabilem transgressionem mandati alicuius Diuini, DEVM offendere, amicitiam eius perdere: Et de tali charitate dicit S. Ioannes Epist. 1. *Qui seruat mandata eius in hoc charitas DEI est perfecta*.

Secundus est eminentior in quo aliquis ab affectu suo, non solùm excludit, quæ ipsum ad peccatum mortale prouehunt; verùm etiam plura vel pauciora relinquit, quæ ipsi remoram facere possent in seruitio DEI: imò illa assumit, quæ seipsum magis in charitate stabiliant, & ad

& ad frequentiores & feruentiores actus vnionis cum DEO adiuuent.

Tertius est eminentissimus in quo affectus secundùm suum totum posse, absq; omni macula & formidine peccati, continuò fertur in DEVM. Et hic est status Beatorum in cælo proprius; primus & secundus est viatorum in hac vita, in qua peregrinamur à DEO Creatore, ad DEVM glorificatorem.

Vnde in viatoribus charitas ad hunc secundum statum consequendum tres præcipuos suos processus exercet (D. Thomas 22. q.24. art.5.) Primus est qui vocatur purgatiuus, in quo per charitatem excluduntur peccata mortalia, vitia purgantur, motus illiciti compescuntur, & alia remouentur, quæ ad peccatum disponunt; in hac via etiam virtutes exercentur, sed cum difficultate; actus quoq; vnionis cum DEO fiunt; sed nondum benè per virtutes stabiliti. Secundus progressus est illuminatiuus, in quo homo magna ex parte purgatus vitijs, virtutibus illuminatus, easdem cum facilitate perficit, & actus vnionis cum DEO puriores & stabiliores elicit. Tertius est vnitiuus, in quo quis planè vacuus vitijs, amore proprio destitutus, firmatus virtutibus, purissimâ & immutabili charitate DEO adhærens, heroicarum virtutum actus, non tantùm cum facilitate, sed etiam cum gaudio, & inuictâ stabilitate producit, quamuis non sine aliquibus maculis & imperfectionibus, & formidine

dine peccati mortalis. Charitas enim huius vitæ licet perfectissima, attamen respectu illius est imperfecta, vbi nulla est impeccabilitas, omnis puritas, firmissima immutabilitas, continua & semper feruens summâ cum iucunditate animi DEO adhæsio obtinetur.

Primus ergo status charitatis omnibus præcipitur quærendus ac retinendus ad finem vitæ, estq; (vt dicit S. Thomas cit.) de necessitate salutis: tenetur enim quilibet homo ex multis rationibus & titulis DEVM plusquam se, quam omnia bona mundi (nam qui peccat mortaliter, se ipsum & creaturam propter quam peccat, DEO quodam modo anteponit) incomparabiliter æstimare, DEO suam voluntatem totaliter deuouere, ac declinare à malo, & facere bonum vt per hoc DEI amicitiam summè æstimandam in se foueat, augeat, & conseruet. Et quia DEVS est vltimus ipsius finis, proinde non sibi sed DEO tenetur viuere, illa cogitare, loqui, agere, perferre, quæ DEO sunt placita.

Secundus status, nempe possessio illius charitatis, quæ excludat omnem prorsus amorem proprium, omnes virtutes sibi aggreget, ac firmissimo nexu animam DEO copulet, est de consilio, de quo Saluator ait: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, &c.*

Religiosi tamen ad hunc statum sub graui peccato tendere per illas tres vias, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam obligantur, nam vt docet S. Thomas 22. q. 184. art. 5. ad hoc se

voto

voto obstringunt, & à rebus sæcularibus se non tantùm affectu; verùm etiam ipso effectu abstrahunt, quibus licitè vti poterant; quo DEO liberiùs vacarent. Ad eundem & Sacerdotes aspirare debent, nam teste D. Thomâ cit. art. 8. præeminentia Ordinis Sacerdotalis, quantum ad dignitatem, excedit statum pure regularem; quia Sacerdos per Sacrũ Ordinẽ deputatur ad dignissima mysteria, quibus ipsi Christo seruitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur maior sanctitas interior, quàm ad statum Religionis. Et ideò magis peccat Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, si quid contrarium sanctitati agat, quàm Religiosus non habens Sacros Ordines, saltèm quoad circumstantias aggrauantes.

Eundem statum perfectionis CHRISTVS persuadet omnibus: *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, &c.* Item viri prudentes & timentes DEVM, imò & Ecclesia hortatur etiam sæculares in statu coniugali, vt perfecti sint, cum eadem tam sæcularibus, quàm regularibus cælestis beatitudo præfigatur essentialis; & legimus in S. Scriptura, & Historijs Ecclesiasticis multos extra statum perfectionis in amicos DEI perfectos euasisse. Insuper Cassianus Coll. 10. Cap. vltimo clarè docet vnumquemq; etiam imperitum ac rusticum hanc perfectionem acquirere posse. Nam licet Religiosi habeant compendiosiora & efficaciora media

ad il-

ad illam consequendam; nihilominùs etiam sæculares ad eandem non destituuntur sufficientibus auxilijs, de quibus infra §. 5. Deinde abrenuntiatio facultatum propriarum (D. Thomas cit. art. 7.) vt est actu, non est essentialiter perfectio, sed vt est in præparatione animi, vt videre est in tot Sanctis Episcopis: ideoq; nihil prohibet, aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis, & aliquos esse in statu perfectionis, qui non sunt perfecti: quia aliqui se obligant, qui non seruant, & aliqui implent, qui non se obligant, vti patet Matth. 21. de duobus filijs, & de Religioso malo, & de sæculari bono, vt ibidem D. Thomas subiungit. Idem docet Cassianus Coll. 4. Cap. 19. Propterea quisque omnes suæ vitæ actus, tam animi, quàm corporis eò dirigat, vt sit perfectus DEI amicus; id est purus ab omni labe, & in bonis agendis, & duris perferendis, in gratia DEI stabilis & perseuerans vsq; ad mortem.

QVÆRES VI.

Vnde incboandus profectus vitæ Christianæ?

R℟. Ab abnegatione, seu mortificatione propriæ voluntatis, amoris proprij, ac suæ naturæ corruptæ: hoc est enim præscriptum ipsius CHRISTI Matth. 16. Luc. 14. Ioan. 12.

Quæ autem sit voluntas propria ostendit D. Bernardus sermone 3. de Resurr. Voluntatem propriam dico, quæ non est communis cum DEO, & hominibus, sed nostra tantum, quando

quod

quod volumus non ad honorem DEI, non ad vtilitatem fratrum, ſed propter nosmetipſos facimus, non intendentes placere DEO, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere proprijs moribus animorum. Talem voluntatem inordinatô amore infectam magno odiô habere DEVM docent SS. Patres; & diſertè Diuus Bernardus 1. Cap. vbi poſtquam dixit voluntatem noſtram propriam, exercere inimicitias contra DEVM & magnô furore Dominium Maieſtatis impugnare, ſubiungit: Quid enim odit aut punit DEVS præter propriam voluntatem? Sicut enim voluntas Diuina eſt regula omnis ſanctimoniæ, vt potè in ſe & ex ſe rectiſſima; ita voluntas noſtra, eſt vt potè per peccatum originale deprauata omnis malitiæ exhibitio; ſed latiùs hâc de re in ſequentibus.

Suppoſito ergo, quod quis ex inſtinctu & promotione Spiritûs S. per fidem, ſpem, & charitatem, poſt acceptum vſum rationis DEO adhæſerit, vel poſt lapſum timore DEI perculſus per contritionem vel pænitentiæ Sacramentum, iterum ſe ad DEVM totaliter conuerterit, vt in ſeruitio DEI proficiat; neceſſe eſt omnino, vt ab hac abnegatione & mortificatione ſuæ propriæ voluntatis incipiat. Sicut enim in politia humana ſeruus dum adhæret Domino, debet relinquere voluntatem ſuam, ſua commoda, ſuas inclinationes, vt Domino congruum præſtet obſequium; ita qui DEO adhæret, ſuam

volun-

voluntatem & illa omnia, quæ ſunt contraria DEO, opus eſt, prorſus deſerat.

QVÆRES VII.

Quid ad hanc abnegationem ac vlteriorem progreſſum in vita Chriſtiana iuuabit?

R*Eſp.* Sicut conuerſio ad DEVM præſuppoſitâ gratiâ DEI pendet à cognitione DEI & ſui ipſius, mediante timore DEI; ita ſeruitium DEI per easdem cognitiones promouetur, de quibus ſatis doctè & piè Gaudier Parte 3. Cap. 5. Poſito fundamento cognitionis DEI & noſtri; ex vna parte, vilipenſio, contemptus, odiumq; noſtri ab omni bono noſtro, atq; adeo nobis ipſis totos nos ſeparat: ex altera æſtimatio DEI & amor, ad omne bonum DEO procurandum, etiam cum malo noſtro, quocunq; nos adducit, & ita DEO perfectè vnit, eique ſoli nos viuere facit, in quo omnis perfectio conſtituta eſt. Quare tum in omni vita, tum in omni prorſus actione (& afflictione) hæc ſui cognitio & DEI, tanquam vnicum verum & ſolidum omnis bonæ actionis & perfectionis fundamentum, diligenter conſtituendum eſt: deinde duo actus tanquam inſtrumenta perfectionis applicandi; nempe, abnegatio circa bonum & malum, & reflexio ad DEI bonum, ex eiuſdem æſtimatione & amore præcipuè; hi enim duo actus extremi ſunt, & omnem perfectionis materiam, eius deinde amplitudinem ſuo amplexu eminenter continent,

ita

ita vt re ipsâ etiam pariant & efficiant, si constanter exerceantur in triplici perfectionis viæ suæ processu charitatis. Præter cognitionem DEI etiam cognitionem sui CHRISTVS Apostolis, & per eos sæpius nobis in Euangelio inculcat illis verbis. *Si ergo cùm vos sitis mali, &c. Nescitis quem spiritum habetis. Non vos elegistis me sed ego elegi vos. Sine me nihil potestis facere, &c.* Ex his quoq; promouetur timor DEI reuerentialis, qui non tantùm in principio conuersionis ad DEVM adhibetur, verùm etiam quasi quidam neruus totius vitæ Christianæ ad finem vsque (prout CHRISTVS Dominus monuit S. Birgittam in reuelationibus lib. 4. Cap. 125.) est continendus.

Debet itaq; bonus Christianus quotidie, saltèm dum Symbolum Apostolicum, & Dominicam Orationem recitat, vna ex parte in memoriam sibi reuocare suam vilitatem, fragilitatem, & grauitatem peccatorum: qualiter ex nihilo à DEO suo Auctore creatus, ad nihilum ex se tendit; in peccato originali conceptus, filius damnationis, nisi per filium DEI redemptus fuisset, & per Spiritum S. sanctificetur, breui moriturus, seuerè iudicandus: modo DEI mendicus; propter sua peccata, & ingratitudinem indignus, qui DEVM suum Patrem vocet, cuius nomen non sanctificabat, cuius imperio se verè non subijciebat, voluntatem eius non implebat, totus à DEO in necessarijs animæ & corpori dependet, sine ipso miserrimus: qua-

liter pro peccatis dignos fructus pænitentiæ non fecerit, quomodo facilè poſsit ſuccumbere tentationibus, plurima mala incurrere, æternaliter damnari. Alterâ ex parte DEI excellentiam, potentiam, ſapientiam, bonitatem, in creatione cæli & terræ, & ſui ipſius, amorem DEI erga ſe; præſertim in Incarnatione, tot beneficia ipſius præterita, præſentia, futura, & vitam æternam, tantô pretiô ſibi comparatam trutinet; indeq; aſſueſcat recedere à ſe per odium ſanctum ſui, & ab amore inordinato rerum viſibilium, & magis magiſque accedere pijs affectibus & vitâ ſpirituali ad DEVM, animalem abijciendo & omnia impedimenta in via ſalutis remouendo. Ita vt per vnitiones, ſiue actus charitatis elicitos, aut imperatos DEO nos quam intimè conſociemus.

§. II.
De impedimentis profectûs in vita Christiana.

QVÆRES I.

Quot ſunt impedimenta profectûs Chriſtiani?

R*Eſp.* Eſſe peccata etiam venialia deliberatè commiſſa; item vitia, occaſiones peccatorum, deniqùe corruptionem naturæ per peccatum originale vitiatæ.

Fuit enim homo antequam ſe peccato commacularet perfectiſſima quædam creatura, ac velut quoddam ſcitè attemperatum à Diuina ſapientia inſtrumentum, ſuauiſſimam omnium parti-

um ac potentiarum suarum harmoniam edens *fecerat enim DEVS hominem rectum, Ecclesiastici 7.* anima eius, plena erat gratiâ: intellectus, sapientiâ: voluntas, purô DEI amore, memoria in Diuinis rebus firmata, imaginatio optimè ordinata, vti & reliqui sensus interiores: appetitus sensitiuus, quàm optimè fuerat temperatus, & rationis imperio obsequentissimus. Sensus verò exteriores omnes ad eiusdem rationis nutum sese flectebant, deniq; vniuersum corpus animæ jussis parebat. Vniuersa porro hæc mirabilis Harmonia, inde ortum habebat, quod superior pars vni DEO Opt. Max. obtemperabat. Mox verò vt contigit hominem peccare, per illam inobedientiam infelicem; in partium omnium suarum dissonantiam, ac deformitatem incidit adeò, vt anima gratiâ & justitiâ originali priuata fuerit, intellectus obscuratus, voluntas obdurauerit, memoria à DEO facta sit alienior, & illius immemor, imaginatio inconstans, & illusionibus varijs obnoxia reddita, sensus interiores perturbati, appetitus sensitiuus se rationi opposuerit, corpus aduersus animam insurrexerit, sensus deniq; exteriores mortis, quædam fenestræ factæ sunt. Hæc est per peccatum originale corruptio naturæ humanæ inducta, quæ deindè per proprios vniuscuiusq; actus mirè increuit. Vnde qui verè Christianam vitam ducere desiderat, hæc omnia, per seriam sui abnegationem & mortificationem, in se corrigere satagat, nec iam ad primi

Adami

Adami corruptelam; verùm ad secundi Domini nostri IESV CHRISTI exemplum se conformare studeat, & nisi hoc fecerit certo se ad maiora & grauiora, cum periculo damnationis æternæ delapsurum sciat. CHRISTI enim effatum est; *Qui amat animam suam perdet eam.*

Quod vt meliùs intelligatur & efficaciùs, in exercitium deueniat; sciendum est ex D. Thomâ 1. secundæ quæst. 77. art. 4. Principium & radicem omnis peccati, esse amorem sui inordinatum, eumque continere in se quatuor causas peccatorum, quæ dicuntur intrinsecæ: quarum prima est ignorantia, præsertim culpabilis, quæ præuideri & impediri potest; ad quam reuocatur negligentia, obliuio, inaduertentia: secunda est malitia, seu mali volitio ex industria, vel ex defectu bonæ voluntatis: tertia concupiscentia: quarta infirmitas seu imbecillitas ad bonum arduum. Ex his promanant vitia capitalia septem (quæ S. Ioannes in concupiscentia, carnis, oculorum, & superbia vitæ conclusit) sic dicta, quia ex ipsis tanquam capitibus innumera peccata, tàm mortalia, quàm venialia, nisi comprimantur exoriri possunt.

Fundamentum ergo huius maledictæ structuræ est amor sui inordinatus, quatuor sunt, quasi parietes ipsius, causæ peccatorum: vitia capitalia, continuatio huius ædificij: peccata quæ his superadduntur, partes sunt, tecta, turres, pertingentes ad contemptum DEI. De hoc im-

probo ædificio S. Augustinus de Ciuitate DEI lib. 14 Cap. 28. in hæc verba. Duo amores ædificant duas ciuitates: amor DEI ad contemptum sui, amor sui ad conteptum DEI.

Qui ergo cupit hanc structuram ne post cum ipsa æternùm igne infernali vratur in se destruere, priùs incipiat à tecti partibus, id est à peccatis; tum ab occasionibus præsertim proximis peccatorum, deinde à vitijs tàm acquisitis quàm naturalibus, tandem aliqua diruat; donec ad amorem sui inordinatum totaliter pertingat, quem per contemptum sui eijciat, & in se ædificium amoris Diuini fundet, nouam structuram sanctarum virtutum, per quam Templum DEI esse possit, in se constituat.

Hic aduerte propter vitandam in mente confusionem, quoties quis se respectu amoris Diuini à peccatis abstrahit, quotiès malas in se inclinationes cohibet, passiones animi ferocientes edomat, corpus mortificat, &c. totiès in ipso amor proprius magis per illam cohibitionem debilitatur ac diminuitur: habet enim cum ipsis magnam connexionem, & vi illius illa corruptio opponit se amori Diuino & Sacris virtutibus.

QVÆRES II.

Quomodo sint vitanda peccata mortalia?

RESP. Inprimis summum odium contra peccatum quodlibet mortale esse concipiendum, vt potè contra malum omnium pessimum, quod

quod voluntati Diuinæ, seu DEO summo bono aduersatur, & optimum donum nempe gratiam & amicitiam DEI demolitur, damna plurima, eaq; grauissima tàm pro præsenti quàm pro futuro sæculo struit. &c. Qui enim sciens, & volens aliquam legem DEI notabiliter violat, iste amorem DEI abijcit, illud bonum propter quod peccat DEO anteponit, obedientiam DEO debitam denegat, DEVM, in quantum est ipsius legislator vilipendit, reus læsæ Diuinæ Maiestatis efficitur, &c. 2. Meditatio nouissimorum. 3. Æstimatio summa amicitiæ Diuinæ. 4. Fuga occasionum præsertim proximorum, siue periculorum peccandi. 5. Animus est firmô & efficaci propositô firmandus; vt potiùs homo mortem eligat, quàm offensam DEI committat. 6. Sit memor præsentiæ DEI, indeq; diligentèr prospiciat, nè quid abominabile coram DEO etiam cogitatione vel affectu perpetret: contra immemores DEI, meritò D. Chrysostomus Homilia 12. in Epist. 1. ad Corinth. inuehit: *In sceleribus DEO contemptô, homines formidamus; & homine præsente nemo scortaretur; sed licet maiorem in modum libidine flagraret; affectus tamen violentiâ pudore hominum vinceretur: cùm autem DEVS videat, non modò adulterantur, non modò scortantur; verùm, & alia longè grauiora & ausi sunt & audent. Nonne vel hoc solùm satis esset, quòd cœlitùs innumeris peteremur fulminibus?* 7. Cogitet breui sibi vel nunc DEI vindictam im-

minere; ruminans illa verba Saluatoris: *Illum timete qui potest occidere corpus, & animam in infernum mittere*; vel nè detur in reprobum sensum obdurationis, nè sibi tempus pænitentiæ fortasse ob hoc peccatum subtrahatur; & licet peccati horrorem non videat, tamen illud plùs fugiat, quàm luem pestiferam, quàm venena, quàm ipsum diabolum, &c. quæ quamuis non videat oculis, attamen credens esse nociua, caueat sibi ab illis. Tandem humiliter DEO supplicans vim sibi sanctam inferat, juxta illud Saluatoris: *Regnum cœlorum violenti rapiunt.* Quod si cadere contingat, quantocyùs, per contritionem, aut pænitentiæ Sacramentum resurgat, ac in posterum fortiùs pugnet, opportuna remedia contra specialia peccata ex pijs libris, aut Confessarijs conquirendo: nam qui peccata non deserunt, priusquam ipsa eos deserant, illorum Confessiones suspectas, & salutem animæ damnationi æternæ expositam, clarè probat Laurentius à Ponte Tom. 1. in Cap. 3. Matth. Annot. 55. n. 10. idque propter voluntatem peccandi in ipsis permanentem: confirmat id Tom. 2. in Cap. 12. Annot. 106. ostendens quomodo aliqui moribundi planè ipsa emortua carne ac in vltimo spiritu constituti, ad consensum luxuriæ adducantur, DEI iustô iudiciô; sic eorum exigentibus peccatis, ac malis habitibus, quòd nullam sibi vim inferre voluissent: ideo sincera pænitentia peccatori est procuranda per orationem, per meditationem passionis CHRISTI,

DEI

Dei excellentiæ, beneficiorum, per eleemosynas, &c. & à Confessarijs inculcanda.

QVÆRES III.

Quomodo sunt peccata venialia cauenda?

REsp. Si ipsorum damna grandia, pericula, & indignitas trutinetur: hæc enim vt SS. Patres docent feruorem charitatis minuunt, debilitant & commaculant animam, Spiritum S. contristant, dæmoni ad animum aditum præparant, dulci familiaritate cum Deo nos spoliant, ad peccata maiora & grauiora nos disponunt, hominem languidum & pigrum ad benè agendum reddunt, retrahunt plurimum nè præsentiam Diuinam contemplemur, & sentiamus; pænas deniq; purgatorij nobis diuturnas & acerrimas parant. Et quamuis omnia omninò in hac vita mortali caueri non possunt, possunt tamen quotidie minui, possunt in dies leuiora fieri, possunt ex malitia, & non ex professo, ex mera oscitantia non committi: demum quæ ex ignorantia & infirmitate fiunt; possunt statim confessione purgari, lachrymis saltèm cordis ablui, & satisfactione compensari. Propterea conandum est nobis, vt iuxta monitum S. Iacobi Cap. 1. *Simus integri in nullo deficientes.* Bonus enim seruus studet, nec in paruis quidem offendere Herum: & qui nollet esse solicitus de venialibus vitandis, eò ipso mereretur tandem à Deo deseri, vt in mortalia laberetur iuxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.*

Non est verus amicus, qui deliberatè vellet amico infligere vulnus leue etsi non lethale; imò omninò amicus non esset; sic qui non vellet adhibere curam, ne offendat DEVM venialiter, hoc ipso conuinceretur non esse amicus DEI. Similiter non est bonus famulus, qui non obsequitur Domino, nisi quando is gladium in eum stringit. Talis est qui venialiter peccare non timet (licet sciat se propterea mittendum in purgatorium) sed tantùm mortaliter, quando meretur infernum.

Petes, quid censendum de venialibus peccatis quoad confessionem ipsorum Sacramentalem?

Respondeo primò. Non esse obligationem vt omnia ad confessionem afferantur, quia licet sint sufficiens materia Sacramenti pænitentiæ; non tamen necessaria, & possunt varijs modis tolli: vnde in Pænitentiarijs celebrioribus, vt potè in Lauretana, Częstochouiensi, &c. habent Confessarij designati, potestatem talia peccata tollendi per contactum baccellorum ad humiliationem pænitentium; nè tempore concursuum, isti confessione venialium, aliorum plurium confessiones retardent.

Dico secundò. Quoties in confessione panduntur, toties debent exponi cum dolore & proposito, saltèm aliqua; aliàs committeretur sacrilegium, si materia indisposita, qualia sunt peccata, nullo dolore, & proposito affecta, for-

mæ

mæ abſolutionis ſubijceretur. Bonaci Tomo 1. diſp. 5. q. 3. part. 2. n. 8.

Dico tertiò. Conſilium eſſe, non valde frequenter illa confiteri, de quo Ioan. à Iezv Maria de arte viuendi ſpiritualiter part. 2. Cap. 4. in hæc verba. *Quapropter aliud hoc loco mihi dicendum non reſtat quàm breue quoddam monitum ad ſecundum hoc præceptum perfectiùs exequendum ſuggerere: nimirum hominem ſpiritualem quemlibet ita ſe in Sacramentorum frequentatione gerere debere, vt pluris eorum faciat fructum, quàm vices & numerum vſurpationis*; vt verò monitum hoc dignè ponderetur. Notandum eſt (præſuppoſitâ naturæ corruptione) rerum ſacrarum frequentiam, vt plurimum exiguam occaſionem eſſe, non quidem datam, ſed acceptam æſtimationis; ita quidem vt & ipſa miracula eos, qui hodie eadem vident, vel parum, vel interdum nihil prorſus moueant. Vnde ipſe etiam vtiliùs ac ſpiritualiùs eſſe cenſeo, vt qui ad quotidianam vſurpationem obligatus non eſt (vti multi Sacerdotes ſunt) moderatum confeſſionum & communionum numerum ſibi præſtituat, nec nimis frequenter Sacramenta vſurpet. Vt verò rationem quandam, quæ magni iudicio meo momenti eſt tangam, quoad pænitentiæ Sacramentum, conſtat viros ſpirituales ſæpè laborare, vt dum heri confeſſi, hodie rurſus confitentur materiam abſolutionis ad Sacerdotem afferant. Nam tametſi præſupponendum ſit aliquod veniale peccatum interue-

niſſe, ſæpè tamen determinatè, ac certò quale id ſit neſcitur, & vt plurimùm, quando determinatè id conſtat, eſt aut verbum aliquod otioſum, aut nimia quædam in oculorum coniectu licentia; vel quid ſimile, quorum non adeò facilè eſt deteſtationem aut odium, nec firmum illud non amplius, in res adeò minutas prolabendi propoſitum concipere. Vt enim hæ parum voluntarij in ſe habent, cumque adeo exiguæ ſint, nec tantam deformitatem includant, vt piam quandam mentem ad cordialem ſui deteſtationem excitent; ſequitur ſæpiùs requiri, vt tantò plùs conſiderationis & applicationis mentis adhibeatur, quô digna ſpiritualibus viris habeatur diſpoſitio, quantò culpæ in ſe leuiores ſunt. Cùm verò diſpoſitio hæc quotidiana non ſit, multò videtur ſalutariùs non aſſueſcere continuò & coniunctim, ſed aliquot intermiſſis diebus confiteri, & cùm deinde confeſſionis vſurpatur Sacramentum maiori reuerentiâ, maiori imperfectionum abominatione, & firmiori in poſterum ſibi cauendi propoſito concepto ad illud ſe conferre. Idem de Sanctiſſimo Altaris Sacramento dico; non quod propterea raræ cuiusdam integritatis hominibus, qui quotidiè de ſapientum virorum conſilio & ſuaſu ſacras frequentant epulas, certum præſcribere communicandi diem aut numerum velim: quibus nihilominùs quotidianam ipſe confeſſionem ob ſupradictam rationem non ſuaderem. Huic monito

mito finem imponam, vbi illos commonefecero, qui in aliud extremum impingentes, non nisi raro admodùm vel peccata Sacerdoti aperiunt, vel viuificum Eucharistiæ Sacramentum adeunt; qui quod hoc satis imprudenter agunt, multò sibi consulerent meliùs, & prudentiùs agerent, si sæpiùs vtrumq; Sacramentum vsurparent. Malè etiam agunt si deditâ operâ cæcutientes sibi persuadent; eum qui spiritualibus hominibus auctor est, qui aliquo die Sacramentorum vsum intermittant, quò maiori postridie cum puritate & fructu eadem percipiant; illorum velificari seu fauere imperfectioni ac tepori, qui per annum integrum adeò raro verum suum remedium vsurpant.

Dico quartò. Venialia peccata non esse vilipendenda, sicut & passionum immortificationes; nam facilè dum placent ad mortalia disponunt. Demonstrat hoc Laurentius. A Ponte Tom. 1. in Caput 2. Matth. Annot. 42. *Nec equidem* inquit *mirandum, quod in minoribus diabolo quis succumbens, ad maiora prouocatus vincatur; quia cum causa belli nostra sit inordinata passio, quæ tentandi diabolo ansam præbet, hæc enim in minoribus ex deordinatione crescit, & amplius contra nos vires sumit; quibus auctis, accedente postea diaboli instigatione ad maiora facilè ruimus.* Pulchrè hoc S. Aug. Tract. 1. super Ioan. confirmat exemplo illius, qui muscis pertæsus, impatientissimè contra illas se habebat, casu eum Manichæus quidam visitans, ex muscarum impati-

entiâ

entiâ ad hæresim Manichæorum adduxit. Hac equidem ratione; nam cum ab eo petijsset, quis fuerit author muscarum, eis homo pertæsus respondit, quod diabolus non DEVS. Ansam ex hoc Manichæus sumens, ex musca ad apem deuenit, quam etiam confessus fuit DEVM non fecisse: hinc gradatim ad passeres, deinde ad aues, tandem ad animalia. Vltimo (ait Aug.) persuasit homini, quod non à DEO factus est homo, vt videas, quàm vera sit doctrina Cassiani lib. 8. Cap. 18. Parum referre, si ira nostra sit contra calamum, quia eius crassitudo, aut exilitas displiceat, contraq; scalpellum cum incidenda hebeti acie segniter exsecet, & non contra homines. Nam quoad nostrum detrimentum, sic fortiter euadit passio ex illis minimis aliquando, ac maximis: vnde ex parua illa ira contra calamum, contracta passione augmentata, impulsu accedente diaboli, contra homines postea irascemur ad maiora dilabentes.

Idem cernere licet de ijs qui silentij pertesi linguas suas pro libitu laxant, vt primo vtilia sancta non suo tempore, nec suo loco proferant, deinde otiosa, nugatoria, mendacia, post detractoria, calumniosa, ex quibus contentiones, rixæ, quandoq; vulnera, quandoq; cædes; & vnde tanta mala? certè ex fractione silentij debiti.

Quâpropter morales Theologi apud Bass. V. Confess. enumerant aliquot modos quibus peccata venialia in mortalia transeunt, & quidem primò ratione finis, dum *v.g.* quis menda-

cium

cium profert vt fornicetur. 2. Ratione specialis contemptûs, vel inobedientiæ alicuius regulæ, legis, etiam ad mortale non obligantis: superioris quà superior est. 3. Ratione firmæ adhæsionis, delectationis, perseuerantiæ in aliquo peccato veniali, vt proponat etiam mortaliter peccare. Vnde habemus in Reuel. S. Birgittæ lib. 1. Cap. 32. lib. 4. Cap. 126. lib. 6. Cap. 114. &c. quod peccatum etiam minimum, quique eo delectatur, quasi vltimum finem in eo ponendo sufficiat ei ad perditionem. 4. Ratione scandali *v. g.* si quis credit ex suo ornatu aliquem induci in peccatum mortale. 5. Ratione periculi peccati mortalis cui se exponit. 6. Ratione conscientiæ erroneæ. 7. Dum peruenitur in paruis ad materiam notabilem, etiam in materia temperantiæ, ieiunij: laborationis in die festo: sæpiùs bibendo cum inebriatione, vel morbo contrahendo: comedendo ad aliam satietatem, quæ æquipolleat cænæ laborando ad completum spatium trium vel quatuor horarum. 8. Ratione circumstantiarum, quæ multis officere possunt, *v. g.* ioco furari vel abscondere rem aliquam paruam, vnde graues turbationes, damna, maledictiones oriri possunt, vel si vxor cum viro leuius contendat, vnde grauioris rixæ occasio; ideò & prælati licitè, sub graui obligatione, etiam sub excommunicationis pœna (videatur Bassæus V. Lex. § 4. n. 5. & Bonacina de peccatis, disp. 2, p. 3. n. 13.) aliquos leuiores defectus interdicunt & seuerè pu-

niunt

niunt, ex quibus notabilis destructio, obseruantiæ regularis potest prouenire, quæ subditi non aduertunt; imò etiam de ijs inquirere tenentur. 10. Si quis habeat voluntatem committendi peccata venialia, & tantùm sola mortalia vitare, nam in praxi cum multis Theologis dicendo (quidquid sit de speculatione) istiusmodi conijcit se in apertum periculum peccatorum mortalium, præsertim vt citatus Bassæus aduertit in materia luxuriæ: vbi subdit hæc: *vnde necessario dicendum est inter ea statuta, ad quorum singula determinatè, non tenetur Religiosus sub mortali, teneri ad aliqua vagè sub mortali.* Quæ obligatio nascitur præcipuè ex votorum obligatione, quæ obligat ad perseuerandum in Religione absque notabili detrimento & ruinâ illius, & periculo transgressionis votorum: ideoq; nullum peccatum paruum putandum, nullum impunitum, nullum inemendatum relinquendum, iuxta monitum CHRISTI datum S. Birgittæ.

QVÆRES IV.

Quomodo sunt vitia extirpanda?

R*Esp.* Inprimis, quod nomine vitij hîc intelligatur affectio praua, siue ex naturâ siue per actus peccandi, acquisita, permanens in anima, eandemq; ad aliquod opus iniquum, seu peccatum inclinans, vti *v.g.* est propensio ad irascendum ac peierandum, maledicendum, se inebriandum, temerè iudicandum, &c. quæ ex præte-

præteritis periurijs, maledictionibus, &c. est contracta. Volenti ergo proficere in vita Christiana omnimoda necessitas incumbit, talia vitia dediscendi, iuxta illud Isaiæ 1. *Quiescite peruersè agere, discite benè facere,* & S. Ioannis Baptistæ: *facite dignos fructus pœnitentiæ.* Non est enim signum sinceræ ad DEVM conuersionis illius, qui nullum propositum, diligentiam, laborem, in eradicandis suis malis consuetudinibus adhibet, ideoq; est communis sententia DD. apud Bassæum V. Iuramentum §. 4. n. 2. illum qui aduertit se habere consuetudinem peierandi, & non adhibet remedia ad illam tollendam, mortaliter peccare, quotiès aduertit illam consuetudinem, & eam non conatur exstirpare: Deinde licet eam efficaci propositò retractet; tamen ratione scandali vitandi, quod alijs præbere solet iuxta prudentis Confessarij judicium, absolutio ei aliquando deneganda esset, aut differenda prout iudicauerit saluti pænitentis expedire. Demum non facilè relabetur in peccatum mortale; qui ex se vitia exstirpare conabitur, ex cuius defectu aliqui peiores post confessiones euadunt, quam ante fuerant, nam crescentibus vitijs crescunt & peccata.

Pro exstirpandis ergo vitijs primò est necessaria cognitio & detestatio eorum: ex eo quia sunt morbi animæ nostræ, origines peccatorum, fontes inquietudinum, fomenta affectionum inordinatarum, hostes DEI, corruptio virtutum, milites dæmonum, per quos bona nostra diripiunt,

unt, nosq; cælestibus donis spoliant. Deinde ardens desiderium & firmum propositum cum Oratione ad CHRISTVM, B. V. MARIAM, Sanctos Patronos ad profuganda vitia assumendum, nihil omninò suis viribus confidendum, manè præsertim præuidendæ sunt occasiones & causæ eorum, & qualiter præscindendæ, considerandum; cogitandum *v. g.* si mihi dicatur verbum asperum, patienter feram propter te patientissime IESV, gratiâ tuâ adiutus: si occurret distractio in Oratione, deuotissime IESV tuâ ope statim excutiam, &c. Hic autem conflictus contra vitia, est cogitatione, & efficaci affectu exercendus, vt potè per actus internos, abominationis, aut indignationis contra illa excitatos. *v. g.* Maledictum esse vitium iræ, gulæ, acediæ, &c. per quod tot mala homini obueniunt. Benedictam esse virtutem humilitatis, abstinentiæ, &c. & exemplo CHRISTI amplectendam. Deinde verbo, legendo vel loquendo aliqua de exstirpatione vitiorum, vituperando illa cum se occasio offert, dissuadendo, &c. Denique opere, contrarios virtutis actus producendo. Tandem adhibendo examen conscientiæ, quod apud timoratos bis per diem fieri solet, an aliquid omissum, aut languidè factum sit, quam ob causam, &c. ac pro defectu illo, pœna aliqua sibi iniungenda, causæque mali tollendæ. Licet autem aliarum virtutum vitia opposita possunt à nobis menti

propo-

proponi, ad detestandum & vincendum; luxuriæ tamen actus nec expedit vnquam directè, & expressè examinare, animoq; repræsentare, imò nec à longè intueri, etiam quocunq; prætextu; sed potius amator castitatis statuat sibi, necesse est pro scopo, summam mentis & corporis puritatem, & quodammodo Angelicam Sanctimoniam; & in eum finem virtutum aliarum subsidium conuocet, mortificationem, deuotionem, humilitatem, &c. vt Angelicam puritatem illam acquirat, potiùs quàm vt directè vitium oppositum deuincat.

Et quemadmodum ille qui vnum equum sibi mancipatum ducit, alios quoque ipsi colligatos post ipsum currere facit; ita quamuis contra omnia vitia sit nobis pugnandum, consultissimum tamen est contra vnum principale, & nobis maximè familiare, tàm per internam quàm per externam pugnam, per vnam, duas hebdomadas, aut amplius pro exigentiâ necessitatis certare; *v. g.* Gulam sæpiùs per diem detestando, tempore comestionis animum à cibis, potu, abstrahendo, aliquid sibi de appositis subtrahendo. Item dum ira efferbescit, peculiari modo affabilem se omnibus exhibendo, contra verba otiosa ori custodiam adhibendo, & sic in alijs procedendum: pro negligentia autem pænitentia sibi assignanda, iterumque animus resumendus. Hic autem conflictus est magnificiendus, nam diabolus videns eximiam vtilita-

tem homini ex eo prouenientem, illum peruertere, vel saltèm debilitare conatur.

QVÆRES V.

Quomodo occasiones peccatorum sint fugiendæ?

RESP. Occasiones proximæ, etiam charissimæ, vtilissimæ, pretiosissimæ simpliciter abijciendæ, fugiendæ, & detestandæ sunt; sic enim Saluator Matth. 18. præcipit. Si manus tua, pes tuus, oculus tuus scandalisat te, &c. Neglectus consanguineorum, affinium, & contemptus rerum externarum, puta diuitiarum, honorum, voluptatum etiam licitarum; multùm ad sanctimoniam vitæ conducit, de quo illa verba Saluatoris: *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si quis venit ad me & non odit Patrem, &c.* Eiusmodi contemptum sæculares, si volunt saluari, tenentur habere in affectu, vt propter vllam rem etiam gratissimam DEVM nunquam offendant, seu voluntati eius nunquam contraueniant per iniurias, oppressiones proximorum, periuria, omissiones sacri, &c. parati omnia semper relinquere, vt docet S. Paulus 1. Cor. 7. *Reliquum est, vt qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, &c.* Et suô exemplô ad id permouet dicens: *Omnia arbitratus sum vt stercora, &c.* Minùs enim firmiter DEO, & supremo suo Principi atque vltimo fini, æternæq; eius legi adhærescit voluntas, quo magis inferioribus per affectum infigitur: vnde

vnde ille Regius propheta. *Quid mihi est in cælo & in terra, DEVS cordis mei, &c.*

Deploranda sanè est sors illorum, qui suo labori, suæ industriæ, circa ista temporalia, hisque bonis creatis ita confidunt, ita se illis tradunt, vel subtractione eorum turbantur, ac si propter illa essent creati, quasi in æternum ea sint possessuri, ac si in ipsis eorum beatitudo tota consisteret; quasi non esset alius mundus, alia vita, alia bona his excellentiora. Et quod grauius est ita se ipsis immergunt, vt quandoq; propter eas in grauissima odia, maledicta, manias, solicitudines &c. incidant: imò etiam verbera tyrannica proximis & hoc Christianis, instar illius serui nequam Euangelici infligant, &c. Alter tot villas possidet, & vt DEVS sibi & illis benedicat, nullum templum in ipsis vult fundare: alter dimidium cordis sui in equo, cane, falcone, & alter totum cor in pecunia, turpi voluptate, ludo, honore, alijsq; vanitatibus, more pagano defigit, vt destitutus DEI solatijs, quæ non procurat; vt DEI, & sui oblitus, cum istis transeuntibus miserrimè æternùm pereat: hîc etiam nullum subsidium & consolationem, quæ maxime ab ijs sperabat in necessitatibus suis maximis, in pœnam sui inordinati affectûs habere possit: & quod maximum est, etiam de vno obulo, quomodo leuatus & erogatus est, in hora mortis debebit dare rationem DEO; vti CHRISTVS ait in Reuel. S. Birgittæ lib. 4. Cap. 4.

Propterea res creatæ non ſunt nobis ita ſimpliciter conſiderandæ, ac ſi eſſent à DEO alienæ, vel ad DEVM minimè pertinerent, ſed more Chriſtianô velut dona DEI, monita DEI, materia meriti, quibus non niſi ſecundùm DEVM, ad ipſius ſeruitium, noſtram, & proximorum, publicam, vel priuatam vtilitatem, cum timore DEI, cum moderatione, gratiarum actione eſt vtendum. Superfluitas in cibo, potu, in argento, auro, in equis, & famulis, &c. arcet ab homine conſolationes Diuinas, ſine quibus homo diſperit. Vide Reuel. S. Birgittæ lib. 4. Cap. 45. Ex his patet reſolutio illius obiectionis rudium, & quorundam nobilium contra perſonas Eccleſiaſticas conquerentium. Quomodo (inquiunt) credere debeamus Prædicatoribus, qui clamant nè nos in his rebus terrenis fundemus, &c. cùm ipſi Eccleſiaſtici bona terrena poſſideant, monaſteria, collegia ampla ædificent, &c. Quibus iuxta ſupradicta reſpondendum eſt, non vſum temporalium, ſed illicitam acquiſitionem, detentionem, & abuſum interdici: bona temporalia (ait CHRISTVS in Reuel. S. Birgittæ, lib. 1. Inter. 2. ideò à me data & conceſſa ſunt homini, vt ille eorum vſum habeat rationabilem, & ea quæ creata ſunt commutentur in increatum, ſcilicet in me DEVM Creatorem; laudando & honorando me de bonis meis, non autem viuendo ſecundùm deſiderium carnis. Nè videlicet anima miſſis beneplacitis DEI defluat in concupiſcentiam carnis,

con-

concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ & multis se peccatis commaculet. Iustè reprehendit Diuinus Vates illos, qui huius mundi res magni æstimant, & dicunt beatum populum, cui hæc sunt; cum potiùs sit ille beatus, cuius Dominus DEVS eius. S. Dorotheus suum prouisorem instruebat, vt res conuentûs tanquam CHRISTO dicatas cautè tractaret & obseruaret, nec tamen propter amissionem illarum turbaretur, pro meliore instructione affero huc verba CHRISTI ex Reuel. S. Birgittæ lib. 6. Cap. 27. de bono vsu, vel abusu rerum. *Quamuis autem diabolus mouet Dominos mundi ad voluntatem suam, quamuis prosperantur ex occulta iustitia mea: attamen ego sum Dominus eorum & iudicio meo iudicabuntur, ipsi inceperunt sibi nouam legem contra legem meam. Curam quippe omnem apponunt, quomodo possint à mundo honorari, quomodo possint diuitias acquirere, quomodo voluntatem suam perficere, quomodo progeniem suam dilatare. Ideò iuro in Deitate & humanitate mea; quia si in tali statu moriantur, nunquam intrabunt in terram illam, quæ promittebatur filijs Israël sub figura, quæ fluebat lacte & melle, non magis quàm illi, qui desiderabant ollas carnium, & subitaneâ morte moriebantur. Sicut enim illi morte corporali moriebantur, sic isti morientur morte animæ. Illi verò qui voluntatem meam faciunt, ipsi intrabunt in terram, in qua fluit lac & mel, id est in cælestem gloriam; in qua non est terra subtus, nec cælum superiùs: sed ego ipse Creator omnium & Dominus, ego*

ſum ſubtus & ſupra. Ego extra & intra, quia ego impleo omnia, ego ſatiabo amicos meos dulcedine, non mellis ſed ineffabili ſuauitate & admirabili replebo eos, vt nihil deſiderent niſi me, nullo egeant niſi me, in quo eſt omne bonum; hoc bonum inimici mei nunquam guſtabunt, niſi conuertantur à prauitate ſua. Si enim ipſi cogitarent quid ego feci pro eis; ſi conſiderarent, quid dedi eis, nunquam me ſic ad iram prouocarent. Ego namq; dedi eis omnia neceſſaria, & deſiderabilia habere cum temperantia. Ego permiſi eis moderatè habere honores, habere etiam amicos, & habere voluptatem moderatè. Quicunq; in honore poſitus cogitat ſic apud ſe. Ex quo ſum in honore poſitus, honeſtè iuxta ſtatum meum volo me habere; exhibebo DEO vero reuerentiam, nullos opprimam, minores fouebo, diligam omnes, iſte talis in honore ſuo mihi placet. Qui verò diuitias habet, & cogitat apud ſe. Ex quo diuitias habeo nullius rem accipiam iniuſtè, nemini faciam iniuriam, cauebo mihi à mortali peccato, ſubueniam pauperibus: iſte talis in diuitijs ſuis gratus eſt mihi. Qui autem in voluptate eſt & cogitat apud ſe. Caro mea infirma eſt, nec ſpero me poſſe continere: ideo ex quo legitimam vxorem habeo, non concupiſcam plures: conſeruabo enim me ab omni turpitudine & inordinatione; iſte talis mihi placere poteſt; ſed plerią; nunc legem ſuam præponunt legi meæ. Nam in honore ſuo nullos volunt habere ſuperiores, de diuitijs nunquam poſſunt ſatiari. in voluptate ſua extra modum & laudabilem conſtitutionem volunt excedere. Ideò niſi ſe e-

men-

mendauerint, & aliam viam inceperint, non intrabunt in terram meam, in qua lac & mel ſpirituale eſt, id eſt, dulcedo & ſatietas, quam qui accipiunt nihil ampliùs deſiderant, nec aliquo indigent niſi quod habent. Profectò digniſſimæ ſunt illæ Reuelationes vt operâ & ſumptu alicuius in ſuas partes: propter diuerſos hominum ſtatus inſtruendos præcipuè ſtatum Sacerdotalem diuidantur ac diſtribuantur.

QVÆRES VI.

Qualiter ſint corrigendæ animæ potentiæ?

RESP. Debet amator amicitiæ DEI intellectum ſuum ab ignorantia rerum ſibi neceſſariarum, & à cunctis erroribus virtuti contrarijs vindicare: item à prauis ſuſpicionibus, temerario iudicio, ab omni vana curioſitate arcere, vt non diſcat, non cogitet, non tantùm turpia vel noxia, verùm etiam quæ ad honorem DEI, & ſtatum ſuum non pertinent. Et multò magis ipſum cuſtodiat à pertinacia, iudicio proprio, opinione propria (puta quæ cum bonis non concordat) quin potiùs curet, vt proprium ſuum & principale obiectum, primam & ſummam veritatem, nempe DEVM, ex rebus creatis, magis autem ex ſcriptura Sacra, ex lectione Sanctorum Patrum, concionum auditione, &c. eiusque voluntatem cognoſcat. Memoriam quoque intellectiuam abſtrahat à vanis cogitationibus, imprimat ſibi illud vnum quod ſummè eſt neceſſarium, id eſt: DEVM propter quem, & ſe-

& secundùm quem hîc viuat, resque vitæ suæ peragat.

Voluntati deneget omnia, quæ legi Diuinæ aduersantur, illamque ad nutum alterius, qui DEI vicem gerit, vt est superior, Confessarius applicet. Erga excellentiam, maiestatem, prouidentiam, bonitatem, iustitiam, aliaque attributa Diuina optimos affectus in se excitet.

Vt autem horum dogmatum veritatem altiùs percipiat, cogitet in quem finem deuenturus sit, si ipsis contraria agat. *v.g.* Si suum intellectum erroneum sequi, voluntati suæ vitiosæ obsequi, DEI rarò vel nunquam meminisse velit, passiones animi non corrigat, &c. nam in dies peior euadet.

QVÆRES VII.

Quomodo domanda sint animi passiones?

ANtequam huic quæsito respondeatur, sciendum est, in appetitu sensitiuo vndecem passiones seu eius functiones inueniri.

1. Amor inordinatus rerum temporalium.
2. Desiderium feruens earundem.
3. Delectatio quæ ex ijsdem capitur.
4. Odium rerum bonarum, quæ licet appetitui sua asperitate opponantur, habent tamen in se grandem materiam meriti.
5. Fuga eorundem & obmurmuratio.
6. Dolor qui eorundem causâ oritur.
7. Vana rerum huius vitæ spes.
8. Audacia ad illicita exequenda.

9. In bonis rebus & ſanctis deſperatio.
10. Timor carnalis & mundanus.
11. Ira infrænis & immoderata.

Vt autem iſtos affectus in nobis comprimamus, ſequentes rationes conuincunt, quia illi nos ad peccandum multùm diſponunt, perturbant, excæcant, eodemque tempore in aduerſa animum pertrahunt, vt ſimul cupiat, timeat, lætetur, doleat, vt videre eſt in vindictam ſpirantibus, & pœnam timentibus, &c. ijdem ſunt inſatiabiles, ſiquidem poſt unum actum acriùs inſurgunt. Ideoque dicuntur paſſiones, quia animum alterant, vt velut mancipium aliquod multa ab ijs patiatur, ex quibus indomitis, & corporum & animarum interitus ſæpiùs prouenit. Quòd ſi per rationem corrigantur, fiunt materia & inſtrumenta multarum virtutum; hæc autem correctio fieri poteſt triplici ratione. Philoſophicâ, quâ etiam Pagani vſi ſunt; Chriſtianâ, & Religiosâ, *v.g.* cum ratio per dictamen luminis naturalis ex ſe paſſioni imperat; deſiſte ſæuire, neç enim conueniens eſt, vt homo præditus ratione affectu belluinô, ducatur; affectus eſt ſeruus, inſtrumentumque animi; potior virtus, quàm voluptas, multa ſibi incommoda inde prouenient, &c. Secundò per cauſas ſupernaturales, *v.g.* nè appetas hoc quod DEVS prohibet, nè formides hanc acerbitatem pro DEO, & cælo ſuſtinendam, DEVS te à tot malis vindicauit; DEO, non cupiditati obſecundes,

des. Si placet hoc bonum, serua te pro illo minori æterno; potior gratia DEI, quam fauor humanus. Si displicet hoc malum propter quod vis opus meritorium relinquere, magis displiceant illa grauissima purgatorij aut inferni supplicia, breui & forsan nunc moriendum, & forte sine pænitentia vt alijs contigit, &c. Tertiò per CHRISTI exemplum; Beatæ Virginis MARIÆ, Sanctorum DEI, qui fuerunt ab hâc vel illa passione alienissimi, *v.g.* CHRISTVS FILIVS DEI viui, pro me Homo factus est, Dominus meus, ego eius seruus, fuit ille moderatissimus in hac passione, vti in omnibus pacatissimus, hoc mihi quoque curandum est, &c. Quod si perseueret passio, tunc voluntatis officium est minimè præbere consensum. Imaginatio quoque ipsa, quæ vt plurimùm excitat motum passionum, honestis phantasmatibus imbuenda est, *v.g.* fortiter apprehendenda incendia gehennæ, fætor & turpitudo cadauerum, mortis propriæ horribilis turbatio. IESVS CHRISTVS sanguine fluens nos quoq; à peccato ad virtutem alliciens, ad suum auxilium offerens: vel repræsententur aliqua acerba, tristia, dolorosa, pro necessitate occurrentis passionis: *v.g.* ad comprimendum inordinatum risum; aliquis casus præteritus olim, nobis horribilis, cum seria indignatione contra nos est imaginandus; ad sedandam luxuriam, cadauer semiputridum; ad auaritiam, mox mors imminens, &c. caterua dæmo-

dæmonum quæ nos tempore mortis circumſtabit, &c.

Porrò qui omnes paſſiones ſuas breui & efficaciter vult deprimere, primam illarum, id eſt: amorem ſtatim compeſcat; nec enim aliæ mouebuntur, ſi prima quieſcet, à qua omnes dependent. Nemo enim quidquam deſiderat, niſi quod amat; nemo de aliqua re triſtatur, niſi qui priuatur ea, quam diligit; item nemo iraſcitur, niſi illi, qui impedit nè re amatâ potiatur. Vt autem his ratio faciliùs dominari poſſit; pono contra principales aliquot remedia, & inprimis contra paſſionem amoris, cui poteſt ſtrenuus paſſionum expugnator mederi.

1. Vt cogitationes & ſenſus à re placita diuertat.

2. Illius imperfectiones conſideret.

3. Damna ex amore inordinato prouenientia perpendat.

4. Alijs ſeſe quæ cogitationes diſtrahunt occupet.

5. Meliora & honeſtiora appetitui proponat.

6. Obſeruet diligenter, qui in parte inferiori motus exurgere ſolent, vt quàmprimùm ſeriâ diſplicentiâ, & ſincerâ ad DEVM conuerſione deprimantur. Ijsdem modis proportione ducta paſſio odij ſedabitur.

Contra triſtitiam hæc ſint remedia.

1. MAlum ipſum quod ſequi poteſt præmeditari: minorem enim præuiſum in animo impreſſionem facit.

2. Quan-

2. Quando malum iam aduenerit, cogitare nobis hîc magnorum bonorum acquirendorum præstari materiam: scilicet virtutum, patientiæ puta, humilitatis, fortitudinis, &c. *Odit enim humilitatem, qui odit contumeliam, fugit mansuetudinem, qui odit irritantes se.* S. Dorotheus Instit. 11.

3. Considerare quid alij passi sint, vel patiantur.

4. Quod tristitia cum admittitur, magis augeatur, & multa detrimenta afferat.

5. Non apprehendere malum, quia reuera tristitia magis ab æstimatiua, quàm à malo quod contristat oritur, vt experientia docuit. Temporalia bona non esse tanti momenti, vt propter illa iacturam gratiæ, vitæ, virtutis subeamus, hanc tristitiam conuertendam esse pro peccatorum expiatione.

6. In principio aduersitatis ad CHRISTVM recurrere, ipsique hunc amarum calicem, primò offerre, vt ipse eum dulcorare dignetur, prout S. Mechtildem CHRISTVS docuit. *Hoc etiam tibi omninò persuasum habeas, vt in aduersis DEO hilariter & fortiter seruias, & cum proximo licet intus turbatus maneas, semper benignè agas, Melancholia* enim teste D. Hieronymo *est Balneum diaboli.*

Contra iram.

1. PRopriam existimationem & rerum temporalium concupiscentiam mortificare.

2. Nihil agere, vel loqui dum ira feruet, nè post te pæniteat.

3. Non apprehendere iniuriam, & animum alio diuertere, vel putare se dignum hâc acerbitate.

4. Potiùs compati iniurianti nos, cùm plùs animæ, quàm nobis noceat.

5. Plurima damna cognoscere, quæ ira facit.

8. CHRISTI mansuetudinem sibi ob oculos ponere, propter enim nostram institutionem eam exercuit.

Placandæ etiam iræ alienæ remedia hic addiscenda.

1. NOn resistere primo impetui.

2. Cùm iam deferbuit, placidè humiliterq; irascentem alloqui.

3. Ostendere pænitentiam & veniam precari.

4. Persuadere irascenti non eo animo rem factam vt fieret iniuria. Ad eum modum omnes passiones temperari possunt. Specialiter autem, vt est dictum paulò ante, est mortificandus amor, non solùm rerum, quæ Diuinâ lege prohibentur, sed etiam superfluarum, imò etiam frenandus immoderatus necessariarum, atque etiam vt rebus, quæ ad conseruandam vitam opus sunt; non vtamur propter solam delectationem, siquidem hoc est proprium bestiarum, sed propter necessitatem, quia scilicet DEVS ita statuit, aliâs non vsuri, imò potiùs parati omni humanâ consolatione priuari, omnibus consan-

guineis

guineis alijsque DEO charis rebus, si sic ipsi placeret: Per talem resignationem obuiabitur multis inconuenientijs.

Deinde frenare oportet gaudium ex temporalium bonorum præsentia ortum, ita vt non nisi moderatè lætemur DEO gratias agentes, cum hæc tantùm sint nobis ad tempus breue concessa, nec propter nos solos, pro quibus suo tempore seuera reddenda est DEO ratio: recreatio quoq; quælibet sit suis terminis semper circumscripta nè sit cum offensa DEI, nè conuertatur in tristitiam. In turbatione animi nihil deliberandum, nihil concludendum, quia tunc periculum, ac impulsio affectûs præualet contra veritatis bonum.

Denique motus primi non tantùm iræ, verùm & timoris & audaciæ, licèt non sint in nostra potestate; sunt tamen præuidendi, & sensim vt suprà dictum est, rationis imperio subiugandi: hoc autem maturiùs est faciendum, quam si ex primo motu *v.g.* hominem occidas, ipse in grauem morbum, aut periculum mortis, &c. incidas; postea serò doleas velis, nolis præuideas, & te cum minori fructu corrigas.

Ex his facilè correctio sensuum exteriorum sequetur; præcipuè tamen oculi, aures, & lingua corrigenda sunt, quia ex istorum custodia neglecta graues aliquando lapsus facilè oriuntur.

QVÆ-

QVÆRES VIII.

Quid de Corporis mortificatione?

RESP. Istud etiam suis modis est corrigendum; siquidem corpus indomitum est, sedes cupiditatis, receptaculum passionum, vitiorum nutrimentum, & instrumentum dæmonis ad expugnandam animam. Vnde ipsi necesse est superflua subtrahere, ex licitis quandoq; necessaria discretè denegare: labores, ægritudines, molestias æquanimiter ferre, quandoq; voluntariè infligere, propter delectationem solam ipsi nihil concedere, præcipuè autem: *Carnis terat superbiam potus cibiq; parcitas.*

QVÆRES IX.

Quid de mortificatione amoris proprij?

COmmunis hostis totius perfectionis Christianæ omnibus fidelibus, dum vita superstes, vigilantissimè in omnibus semper cauendus est amor proprius: ille videlicet, quô quis sese magni æstimando, ac in se manendo, se ipsum quasi finem suarum actionum aut desideriorum constituit. Iste peruersus amor iuxta D. Thomam cit. est occasio & radix omnium peccatorum: quod facilè quisq; in se aduertet, dum causam sui peccati inuestigabit, vnde DEVM in æmulationem prouocat, constituens hominem sui iuris, impedit cognitionem sui ipsius, ad salutem apprimè necessariam, facit vt peccata nostra nobis grauia esse non videantur, inquinat & immutat intentionem, & vsque ad contemptum DEI pro-

progreditur; nec esse possibile quenquam in amore DEI proficere, nisi priùs ab isto peruerso amore discedat. Vnde rectè D. August. sermone 47. in Matth. *Disce amare te non amando, quia qui amat animam suam perdet eam, &c.* Proinde verus amicus DEI studeat in omnibus istum amorem peruersum à se excludere; sibi ipsi vilescendo, se DEO in omnibus subijciendo, admonitiones, reprehensiones gratô animô suscipiendo, aduersa patienter tolerando, nec tam in cursu vitæ suæ & singulis actionibus prospiciat, illa quæ sunt grata animo suo, suæ carni, vel sibi soli, quâm quæ sunt placita DEO: imò nec ideò viuat, quia sibi viuere est charum sed quia se viuere sit DEO placitum. *Nemo sibi nostrum viuit*, dicit Apost. *ad Roman. 14. & nemo sibi moritur, sed Domino*, ideoque 1. Cor. 10. admonet: *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia in gloriam DEI facite.* Et ad Cor. 2. Cap. 5. *pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*

QVÆRES X.

Quomodò tentationibus resistendum?

R*Esp.* Per seriam displicentiam, humilitatem, orationem, mortificationem, fugam, per actus timoris & amoris DEI. Quod si tentatio persistat, magis, magisque animus per prædicta est obfirmandus. Hic autem ex Fornario lib. 2. Cap. 2. cautelam accipe. Illorum verò tentatio

magis

magis periculosa est, qui exterius profitentur vitam spiritualem, sed verè mundo seruiunt; quoniam sunt ambitiosi in rebus spiritualibus, vanam gloriam sectantur, sua commoda quærunt, sibi ipsis nimiùm confidunt, & plùs assumunt, quàm par est; bona opera omittunt, nè ab hominibus contemnantur, & sæpè ea faciunt, vt ab illis probentur; nihili faciunt peccata venialia, de rebus spiritualibus nunquam loquuntur, nec eas meditari curant, cum vana quadam libertate viuunt, leues sunt & instabiles, timorem DEI paulatim à se excutiunt, conscientiam habent cauteriatam, & tamen boni Christiani haberi volunt, & putant se posse duobus Dominis seruire.

---

§. III.

De bonis faciendis, seu de exercitio virtutum.

QVÆRES I.

Quid sit virtus? & quotuplex?

RESP. Cum Philosopho, quod sit dispositio perfecti ad optimum. Est enim habitus qui operationes intellectûs & voluntatis optimas efficit, ac perficit; per consequens partem hominis interiorem optimè compositam reddit. Hinc ille vocatur moraliter bonus ac perfectus homo, qui clarè & certò verum à falso discernit, qui bono honesto, quâ tale est inhæret, & in quo pars inferior rationi subijcitur; & è contra, per-

uersus. Perfectus Christianus qui fide, spe, charitate, alijsque infusis pollet virtutibus.

Virtutes aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales. (D. Thomas 1. 2. quæst. 62. art. 1.) author enim naturæ DEVS omnium virtutum semina nostris mentibus inseruit, quæ nobis agentibus adolescunt & firmantur. Vnde & acquisitæ dicuntur: vt verò est author supernaturalis gratiæ, eos habitus, qui ad supernaturales operationes efficiendas, naturales facultates attollunt, nobis antea dispositis ad tanta & eximia dona, solus ipse format & infundit: & dicuntur infusæ, quia cum gratia habituali infunduntur, quæ deinde per exercitium confirmantur & augentur. Acquisitæ virtutes ad principia practica, & speculatiua naturalis rationis; infusæ ad sua principia virtutum Theologicarum referuntur: vnde etiam in modo operandi differunt. Modus enim acquisitarum à ratione naturali; infusarum verò à lege Diuina fideque præscribitur; quod apposito temperantiæ exemplo liquebit. In cibi potûsque sumptione, quod ad acquisitam temperantiam spectat, ratio præscribit modum nè noceat valetudini, vel rationis vsum impediat: at in eâdem sumptione, si per actum infusæ temperantiæ fiat, modus à lege Diuinâ quam docet fides, charitate formata imponitur; vt scilicet parcitate cibi & potûs corpus castigetur, & in seruitutem spiritus redigatur ad seruiendum DEO, & hic modus est meritorius vitæ æternæ longè melior primô.

Quan-

Quandoq; etiam accidit temperantiam infusam materia delectabili abstinere, vbi naturalis ratio per temperantiam acquisitam ea abstinendum non dictaret. v g. Dum corpus jeiunio ad maiorem gratiæ vel gloriæ acquisitionem castigatur: quod etiam pro alijs actibus est considerandum, & hoc altiori & diuiniori modô virtutum moralium actus exornentur.

Hîc etiam virtutes acquisitas aduertendum est (licet infusæ nobiliores sint) hanc vim efficaciorem habere, quòd vitia contraria illis conatibus, quibus conantur exterminent, ac cordis tranquillitatem conferant: infusæ verò, contrarios ac vetustos vitiorum habitus non expellunt, sed ad creberrimos congressus vires præstant, vt pax animi ad inhabitandum Spiritui Sancto comparetur. Vnde qui Sacramentis vtuntur, fortiores contra peccata, vitia, passiones, (dummodò suam voluntatem applicent) redduntur, quö carent infideles, & in peccato mortali existentes.

Virtutum deinde aliæ sunt intellectuales, quæ intellectum perficiunt; vti sunt ars, intellectus, scientia, prudentia, sapientia: præcipuè autem fides Theologica. Aliæ sunt morales, quæ ad mores componendos pertinent: quarum præcipua est charitas Theologica: tum iustitia cum virtutibus sibi annexis, quæ voluntatem reformat, temperantia appetitum concupiscibilem, fortitudo irascibilem, cum agmine

R 2 alia-

aliarum virtutum moderatur, ex infra inſinuatis hominem optimè diſponunt.

Aliæ erga DEVM, vti	Fides, Spes, Charitas, Religio cum ſibi annexis.
Aliæ erga Superiores.	Obſeruantia, Obedientia.
Aliæ erga omnes.	Iuſtitia, Amicitia, Miſericordia, Affabilitas, Fidelitas ſeu veritas.
Aliæ hominem diſponunt erga ſe ipſum.	Amoris proprij abnegatio, Temperantia, Caſtitas, Paupertas, Humilitas, Modeſtia, Silentium, Manſuetudo, Fortitudo, Patientia, Perſeuerantia,

Prudentia autem præſertim infuſa, tum harum virtutum exercitijs, tum in cæteris vitæ periculis rectè diſponendis verſatur.

Cæterùm in ipſo exercitio virtutum præcipuè

puè est incipiendum à mortificatione amoris proprij, aliorumq; vitiorum de quibus supra: amor enim proprius, omnia bona ad seipsum trahit, nec sinit hominem, DEI bonum vt par est, & proximi procurare. Nulla enim potest esse sincera deuotio, nulla bona oratio, nullus verus DEI & proximi amor, nulla perfecta obedientia, nulla iustitia nisi inordinatus sui amor, & immodica siue quietis siue commoditatum cupiditas, suique æstimatio facesset, vt ità possint quæ alteri debentur semota ab affectu sincerè exhiberi. E contrà verò Charitas Theologica ex natura sua omnem affectum à bonis creatis abducit, vt illum liberè ad DEVM transferat, bonaque omnia quæ liberaliter ab eo concessa sunt, sibi veluti totaliter resignet.

QVÆRES II.

Quomodo virtutes exercendæ?

ET quia parùm prodest virtutes laudare, nisi etiam ipsarum veritatem & modum ipsas acquirendi addiscas, ideò ad exercendam aliquam virtutem opus est primò cognoscere ipsius naturam vtilitatem, necessitatem, &c. Secundò magnam æstimationem, ac desiderium efficax acquirendæ virtutis assumere. Tertiò, DEVM authorem omnis perfectionis de illa exorare.

Et quia virtus per actus acquiritur; ideò omninò cùm primis necessarij sunt illius actus interiores, per hos enim (Gaudier p. 4. de perfect. Cap. 3.) stultus à sapiente; verus DEI

seruus, ab hypocrita; homo spiritualis ab animali dignoscitur. Virum enim veræ virtutis ope destitutum interesse Sacro quid vetat, ieiunare, eleemosynam impertiri, &c. sed absque perfectione, absque vita & spiritu. Patet hoc in bono & malo latrone, in Publicano & Pharisæo, &c. deinde quia interiores actus virtutis quôuis tempore, locô, in solitudine, inter homines exerceri possunt: demum quia ab his germana hominis perfectio, & incrementum gratiæ DEI dependet; quia ille maiori meritorum cumulô augetur, & arctiori cum DEO amicitiæ nexu coniungitur, qui actuum internorum studiô, solicitiore & praxi diligentiore exercetur. Quàpropter magnoperè curandum est, vt externus actus sit cum interiore coniunctus, & tanquam ex vero suo principio, formali motiuo (secus enim infructuosus & inutilis, sicut verba sine virtute sibi debita, corpus sine anima) oriatur.

Itaque in ipso exercitio virtutis cùmprimis intentio præter illam generalem se abnegandi & DEO placendi, hæc specialis formanda est: vt hîc & nunc iste actus ideò fiat, vt hæc vel illa virtus iuxta DEI voluntatē exemplo CHRISTI; studiosè ac constanter exerceatur, vel plures virtutes in eodem actu. Deinde contra impetum contrariarum virtuti propensionum insurgendum est per abominationem ipsarum; præsertim in exercitio moralium (Theologicæ enim, & virtus Religionis non ità impetuntur) tum

pro-

propositæ virtutis actus interiores, animô ferventi sunt per pia proposita, ac desideria coram DEO sæpiùs per diem eliciendi, demùm in exteriores cum datur occasio deducendi. Exempli G. interest aliquis concioni in prima Dominica S. Aduentus; audit CHRISTVM venturum in fine mundi ad iudicandum; subinfert se quoque ibi sistendum, vbi etiam de verbo otioso reddenda erit ratio, &c. Ex illa concione assumit sibi præcipuum exercitium timoris Domini, excitatôque in se desideriô illum acquirendi, eum à CHRISTO humiliter postulabit: *IESV venture Iudex sæculi confige timore tuo carnes meas, &c,* IESV in quo Spiritus timoris Domini requieuit, *à iudicÿs tuis timeam, miserere mei dum tempus adest miserendi.* Vel illius prosæ. *Dies iræ, dies illa; &c.* versus ruminabit, &c. Deinde hunc timorem DEI opere exhibebit, etiam verbum otiosum timendo proferre; superflua sibi subtrahendo, & alia agendo vel omittendo. de quibus stricta ratio est sibi procertò facienda in iudicio. Demùm in examine conscientiæ se discutiat, quomodo memor fuit supremi Iudicis, suos actus modo notantis, &c. quæ perperam cogitauit, dixit, egit, omisit agenda? pro quibus doleat, aliquam pœnam subeat, & iterum se ad exercitium timoris Domini meliùs accingat. Similiter in Dominica decimatertia post Pentecosten, proponitur CHRISTVS Magister humilitatis, ad cuius exercitium opus erit scire, quid sit humilitas, & quot gradus habeat,

&c. Deinde necesse erit quolibet mane excitare in se odium superbiæ; desiderium, cum proposito efficaci humilitatis acquirendæ, ac CHRISTVM humilem de humilitate rogare, B. Virginem, SS. Patronos, tunc alternatis horis se coram DEO pio aliquo suspirio vilipendere, humiliare, saltèm illâ Oratiunculâ, *DEVS propitius esto, &c.* Exteriores quoque actus humilitatis vsurpandi, quorum occasiones frequentissimæ occurrunt.

Quia verò multi actus exteriores sunt indifferentes, idcirco ab interioribus actibus virtutum sunt dirigendi aut informandi vnô vel pluribus. *v. g.* dum aliquis opera seruilia exercet; si studio DEO placendi id fiat, charitas est; si personam CHRISTI in Dominis, prælatis, superioribus, vel DEI potestatem consideret, est fides; si DEVM in ipsis honoret, est Religio: si abiecta amplectatur amore ministerij, est humilitas: si vt mandata DEI exequatur, est obedientia: si pro peccatis præteritis satisfaciendi voluntate, est pænitentia: si alendi, reficiendi, subleuandi alios intentione, est charitas & misericordia, &c.

Multò autem commodiùs tale exercitium fæcundandi in actibus bonis succedet, *v. g.* in sacrificio Missæ, nam si quis ministret Missæ, vel illam perficiat, ad obediendum superiori, est actus obedientiæ; si vt placeat DEO, est actus amoris DEI, si vt prosit quoque proximis, est charitatis actus; si vt per id assequatur beatitu-

dinem,

dinem, est actus spei? si vt satisfaciat DEO pro peccatis, est actus pænitentiæ; & quotquot fines honestos concipit, tot virtutum species contrahit. Qui autem cupit viâ compendiosâ ad acquisitionem plurium virtutum peruenire, seque habilem ad exhibitionem bonorum operum reddere; operæ pretium est, vt omnes vires & conatus suos, ad omnimodam expugnationem vitij prout supradictum est, aut passionis quæ illum maximè infestat, & ad perfectam possessionem vnius virtutis seriò ac sedulò sese conuertat (quanquàm & aliæ non sunt per occasionem relinquendæ) vsque ad heroicum seu excellentem gradum, ità vt careat omni opposito vitiô, sit in se actiuissima, etiam ad proficiendum alijs, & stabilissima: præstat enim vnum artificem in sua arte excellere vnâ, quàm plures imperfectas tenere. Deinde quia vni virtuti si est perfecta, necesse est alias quoq; virtutes copulari. *v. g.* temperantiam comitatur prudentia, quia debet esse discreta, item fortitudo vt sit constans, amor DEI, vt sit meritoria, &c. Et ideò videmus diuersos status Religiosorum, quia ab ipsis diuersæ virtutes præcipuô modô exercentur. In exercitio virtutum perfectiùs exhibendo proponenda sunt exempla CHRISTI Domini, Beatæ Virginis, Sanctorum DEI: insuper opus est, vt non tantùm quis consideret virtutes CHRISTI; sed etiam illas à CHRISTO postulet, suosq; actus, actibus eius piâ in-

tentio-

tentione vniat, quod ipſe CHRISTVS S. Mechtildi lib. 1. Cap. 13. inſinuat.

Denique ad continuandam hanc viam id etiam pertinet, vt bonô exemplô alijs præfulgeas; alios pro viribus ad bonum inſtruas; humilitatem præſtantiore modo exerceas; onera patientiæ alacriter perferas; vt illa virtus, *v. g.* humilitatis, patientiæ, &c. quæ in principio fuit difficilis, in proceſſu fiat facilior, demùm cum gaudio perficiatur, in maiorem laudem DEI & fructum aliorum.

Ad virtutes morales & Theologicas ſuauiùs & promptiùs exequendas, dantur homini dona Spiritûs S ex quibus tanquam ex optimis operibus naſcuntur fructus Spiritûs S. & octo beatitudines; quæ omnia à DEO ſunt deuotis ac humilibus Orationibus expoſcenda.

QVÆRES III.

Quæ præcipuè virtutes ſint exercendæ?

RESP. Quatuor CHRISTVS Dominus oſtendit S. Mechtildi lib. 2. Cap. 8. cum enim ex ipſo quæreret quid deſignaret Crux, quam ille apparens ei geſtabat in pectore ſuo, reſpondit: ſuperior pars crucis amorem meum deſignat, cui nihil homo præponere debet: inferior verò humilitatem, quâ homo ſe omni creaturæ debet ſubijcere propter me. Dexterâ timorem DEI non poſtponere. Siniſtrâ aduerſa propter me patienter tolerare. Si quis hanc crucem in corde ſuo per iugem memoriam geſta-

uerit,

uerit, hæc erit merces laboris eius, quod cùm primò anima eius à corpore exierit, nuſquam niſi in corde meo manſionem habebit.

QVÆRES IV.

Quotuplex ſit exercitium virtutum?

R*Eſp.* Triplex. Primum eſſe vniuerſale per bonam voluntatem affectum vniuerſali iuſtitia. *v.g.* ſi intra ſe more Chriſtianô cogites, Ego DEI gratiâ nolo ſimpliciter malum, quia DEVS ſeuerus Iudex me conſiderat. Volo efficaciter quô potero meliore modô facere bonum: quia DEVS tot me beneficijs cumulat. Cupio in omnibus tibi optime DEVS quàm maximè placere, quia es omni honore & ſeruitiô digniſſimus. Vel ſi dicas: non propter me, nec ſecundùm me, ſed viuo propter DEVM, ſecundùm voluntatem eius. Nolo quod DEVS non vult; volo quod DEVS me vult velle. Vtinam quàm perfectiſſimè honorificem DEVM, & quæ ipſi ſunt placita faciam ſemper. Non vtile, non delectabile, non honorificum mihi, ſed quæro beneplacitũ DEI in omnibus. Tu IESV adiuua me, &c.

Secundùm eſt ſpeciale, dum aliquis modô peculiari eligit ſibi aliquam virtutem exercendam per hebdomadam, menſem, vel etiam per totam vitam, de quo ſuprà dictum eſt.

Tertium eſt ſpecialiſſimum cum videlicet quilibet actus in particulari aliquâ certâ vnâ virtute, vel pluribus imbuitur. Vt enim actio bona ſit,

na sit, necesse est, vt, non solùm obiectum illius & finis maneat bonus; sed etiam, vt nulla circumstantiâ malâ vitietur: vt autem sit perfecta, opus est vt virtutum præsertim supernaturalium, (quarum capax est,) splendore imbuatur, quod in processu virtutum exemplis dilucidabitur.

QVÆRES V.

Quotuplex sit processus virtutis?

RESP. Triplex: primus; puritas per fugam oppositi vitij; abnegationem proprij amoris; per victoriam tentationis: secundus, actiuitas; per rectam voluntatis intentionem, intellectûs attentionem, virium seriam contentionem: tertius, actiuissima stabilitas; directa per charitatem ad DEVM. Hæc nobis DEVS innuit per Prophetam & Apostolum Petrum, dicentes. *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere eam.* Vnde quilibet actus noster, vt sit bonus ac meritorius, ita est persoluendus, vt careat vitiô, aliquâ virtute imbuatur vel pluribus, & ad DEVM sincerè & firmiter dirigatur.

Petes, quibus modis isti tres processus pro commodo exercitio in mentem reuocari possint? *Resp.* Hisce tribus verbis. Nolo. Volo. Cupio. *v.g.* in Oratione. Nolo hic mentis distractionem, irreuerentiam, teporem, &c. Quis enim ego sum vt audeam propter me, aut aliquem humanum respectum, aut aliquam vanitatem, &c.

tantam

tantam Maiestatem vilipendere, &c. aliàs iudicium seuerissimum Dei me inspicientis, & pœna grauissima mihi subeunda, &c. Modò possum corruere & mori, &c. Devs est à me omni honore dignissimus, &c. satis antea in orando deliqui, pro quo infinities doleo; patiar, moriar potius quàm irreuerenter cum Deo agam, &c. Volo exemplo Christi, B. Virginis Mariæ, Sanctorum Dei omnimodam attentionem, reuerentiam, deuotionem, &c. Cupio quàm perfectissimè hanc Orationem propter Devm perficere. Tu Iesv deuotissimè, per tuas Orationes adiuua me, quibus ego hanc miseram meam, cum ea qua possum humilitate adiungo, ac cum eisdem Orationibus tuis ac meritis istam meam exilem, cum eo qui est possibilis feruore, in gratiarum actionem, in satisfactionem pro peccatis meis, in laudem æternam, in adimpletionem Diuinæ voluntatis, ac vnionem æternam, in impetrationem mihi necessariorum, ac N.N. supplex offero tuo Patri cœlesti; vt illi tibique, vnâ cum Spiritu Sancto, quam maximè infinities placeam. Tu quoq; Sanctissima Mater, impetra mihi gratiam, vosq; S. Patroni.

Idem modus in aliqua aduersitate seruandus erit. E. G. Nolo hîc impatientiam: quis enim ego sum, vt contradicam permissioni Diuinæ, tot criminum reus? &c. Aliâs post grauiora, feram inuitus, cum maximo meo damno, sine vllo merito. Patientia mihi omninò est necessaria,

cessaria, in hac possidebo animam meam. Iam satis antea impatientiæ fuit, de qua doleo, &c. Volo CHRISTI patientis seruare patientiam, &c. Cupio ad finem persistere, &c. Tu IESV patientissime per tuam patientiam me adiuua. Hanc ego afflictionem tuæ Sanctissimæ Passioni supplex adiungo: tibiq; ac tuo Patri æterno, cum ea quâ possum humilitate & feruore in satisfactionem meorum peccatorum, in adimpletionem Diuinæ voluntatis offero: vt quàm maximè tibi infinities placeam. Adiutor meus esto, &c. Tu quoq; Virgo Dolorosa iuua me, Diuiq; Patroni. Similiter agendum in recreatione, in refectione, *v.g.* Nolo hîc vitium gulæ, dissolutionis. Quis enim ego sum, vt propter hanc vanitatem, &c. Speculator adstat desuper, qui modo me potest in infernum mittere &c. de minimo verbo, potu, cibo, reddenda est stricta ratio, &c. Alias cibus in venenum, recreatio in afflictionem, homo in lupum, DEO, quem offenderem permittente mihi verteretur. Satis antea peccaui, &c. Volo etiam cum modestia mea exemplô CHRISTI, omnem temperantiam, modestiam. Cupio & hîc DEO Optimo placere. Tu Domine IESV temperantissime, modestissime, per tuas virtutes adiuua me, quibus ego hanc meam refectionem, recreationē adiungo & offero ad tuam gloriam, in adimpletionem Diuinæ voluntatis tuæ, &c.

Et per consequens ita faciendum in alijs actionibus, vt in memoria, & amore præsentiæ

DEI,

DEI, in abnegatione nostri, in timore DEI, in humilitate, patientia, quæ virtutes præcipuè sunt colendæ fereque in omni actu exhibendæ efficaciter nullum velimus vitium, optemus virtutes, cupiamus quàm maximè placere DEO: nam sicut non nobis, sed soli principaliter DEO viuere debemus, ità & cogitare, cupere, loqui, & ea quæ sunt officij nostri exactè, (quia propter DEVM fiunt) exemplo CHRISTI perficere.

QVÆRES VI.

Quid maximè officiat exercitio virtutum?

RESP. Tepiditas; siquidem ipsa est profectûs Christiani, somnus, macies, sterilitas, iam quasi defatigati satietate rerum spiritualium, aut potius deterriti difficultatibus in via perfectionis occurrentibus, ità vt vltrà progredi non laboret; sed quasi de via languens subsistat.

Contra istam sit diligens consideratio grauium periculorum, tepido propè impendentium. 1. Relapsus in peccata vitæ prioris. 2. Perdendi omnem fructum vitæ, hactenus benè institutæ. 3. Periculum alicuius maioris ruinæ, quæ etsi non impendere videatur, tamen est certa, nisi tepor ille excutiatur. 4. Nunquam emergendi ex gurgite tepiditatis, cum eius vis semper detineat. Deniq; periculum excidendi gratiâ, & spe salutis, idque propter ingratitudinem donorum tot acceptorum, & negligentiam tot occasionum, ad bonum tot exemplorum, Sacramen-

torum

torum aliorumq; subsidiorum ad cumulanda merita repudiationem. Tepidis enim ira DEI procerto imminet, quia potius sibi, quàm DEO; & secundùm se, non secundùm DEVM viuere appetunt.

Quapropter quisq; assuescat amore perfectionis, linquere blanda, quæ potest; perferre aduersa, vt potest; orare sicut potest; laborare, vigilare, se punire, corrigere, quantùm potest: memor illius moniti Sacræ Scripturæ: *Quidquid potest operari manus tua, instanter operare, quia, &c.* Miseri sunt illi (dicit B. Virgo M. S. Birgittæ lib. 3. Reuel. Cap. 28.) qui sic dicunt: sufficit si ero in cælo minimus, nolo esse perfectus. O insensata cogitatio, quomodo erit ibi imperfectus, vbi sunt perfecti omnes; alij ex innocentia vitæ, alij ex innocentia pueritiæ, alij expurgatione, alij ex fide & bona voluntate. Idem dicit CHRISTVS lib. 4. Cap. 61. Nemo veniet ad portam gloriæ, nisi perfectus, aut perfectè purgatus, & nemo apprehendet, gloriam, nisi perfectè desiderando eam, aut perfectè pro ea laborando.

§. IV.

De exercitio Charitatis Theologicæ.

QVÆRES I.

Quæ sint præcognoscenda ad intelligendam naturam Charitatis Theologicæ?

R*Esp.* Præcognoscendam esse naturam amoris;

ris; multi enim (vt bene aduertit Ioannes à I. M. Carmelita discalceatus, Cap. 1. de arte amandi DEVM) reperiuntur, qui cum se DEVM amare profiteantur; attamen quid sit verus DEI amor ignorantes; infinitò interuallò se ab amoris Diuini veritate & puritate sequestrãt. Amor itaq; in communi consideratus (D. Thomas 2. 2. quæst. 16.) dicitur principium motûs in rem amatam, isque est triplex: primò naturalis, qui est quædam connaturalitas appetitûs propendentis ad bonum sibi competens: secundò sensitiuus, qui est complacentia boni, necessariò consequens apprehensionem appetentis ad id quod appetitur: tertiò est rationalis, qui est motus complacentiæ inclinans voluntatem ad bonum cognitum propter conuenientiam illius non necessariò, sed secundùm iudicium liberum. Vnde in rationali appetitu præter complacentiam à bono in voluntate impressam, reperitur insuper electio, quæ dilectio vocatur; & appretiatio boni, quæ dicitur charitas.

Amorem consequitur concupiscentia, quæ est quædam amoris extensio seu progressus ad bonum nondum possessum; quæ dum rationem comitatur, appellatur desiderium, quod absente bonô, vel nondum totaliter possessô, aliquando inualescit vsque ad ardorem; qui dicitur feruor, quem solet comitari languor, seu grauissima quædam mæstitia; quæ hominem etiam potest interimere. Si verò bonum concupitum ex voto succedat, subit quædam vnio indeque delectatio

(quæ ſi cum opere rationis fiat, propriè dicitur gaudium) eſtq́ue animæ in bono, quod ſibi placet conſtitutæ, motus delectabilis & fruitio: ab alijs vocatur ſecunda complacentia, ſeu amor complacentiæ, in qua natura amoris completur.

Amoris affectus multi ſunt, nam præter feruorem & languorem, eſt Exſtaſis, quæ ſignificat exitum appetitûs à ſeipſo, vt exiſtat in bono quod affectat: ſecundò eſt animi dilatatio, & quædam liquefactio: tertiò eſt ſtricta coniunctio: quartò ardor mutuæ beneuolentiæ: quintò animi immerſio: ſextò zelus: per quos omnes effectus, complacentia extenditur. Vnde & quidam amorem per ſolam complacentiam definiuerunt; nam illa ceſſante, ceſſat & amor; quô appetitus tanquam aliquo pondere iuxta ſententiam S. Auguſtini fertur in bonum, dicentis: Amor meus, pondus meum, & quô feror? illo feror. Prædicti affectus maximè eluceſcunt in amore Diuino, qui dum alicuius animum occupat, ita illum alterat & conſtituit, vt ſuæ voluntatis, ſuorum commodorum, ac ſui quodammodo oblitus, cor ſuum totum transfundat ad oblectandum ſe DEO, totum ſe impendat ad promouendum bonum DEI, ad patiendum pro honore ipſius, vt ſit totus DEI & DEO, alijs autem non niſi ad nutum DEI, nullus autem ſibi. Quæ benè conſideranda ſunt cupienti ſincerè amare DEVM, vt ad hæc ſenſim per partes aſſueſcat.

QVÆ-

QVÆRES II.

Quotuplex sit amor rationalis?

RESP. Siquidem amor dupliciter propendet in aliquod bonum; ideò in duas species diuiditur: quarum vna, vocatur amor concupiscentiæ, altera amor beneuolentiæ: Amor concupiscentiæ est ille, per quem aliquid amamus, sperantes ex eo vtilitatem aliquam nobis prouenientem. Talem amorem non esse purum, imò nec propriè amorem, sed quandam proprij commodi ac sui ipsius in materia honorum, voluptatum, aut diuitiarum sectationem Philosophi & Theologi asserunt. Amor autem beneuolentiæ est ille, quo alterum propter eius bonitatem, seu perfectionem aliquam magni æstimamus, eique benè & bonum volumus: vnde Arist. 2. Rhetor. Cap. 4. dicit amare nihil aliud esse, quàm bonum velle.

Si is cui bonum volumus iam illud quod ei volumus habet, & possidet, tunc ei id volumus propter gaudium & animi delectationem, quam habemus, ex eo quod illud habeat & possideat, & ita formatur amor complacentiæ secundæ; qui nihil aliud est quàm actus voluntatis, per quem illa se vnit & iungit lætitiæ cordis & bono alterius. Verùm si is cui benè, & bonum optamus, necdum illud possideat, id ei desideramus & amor ille dicitur amor desiderij.

Quando amor beneuolentiæ exercetur absq; reciprocatione ex parte rei amatæ: vocatur sim-

plex amor beneuolentiæ : quando verò est reciprocatio, vocatur amor amicitiæ. *v. g.* aduertit quis aliquem virum magnis virtutibus præditum (præsertim in excellenti dignitatis gradu constitutum) tunc in ipsius virtutibus habens complacentiam, illum magni æstimat, ipsi honorem defert, & paratus est illi sua obsequia præstare ex eo quia dignus est : Quod si ab illo in sui societatem seu familiaritatem admittatur, iam iste illius amorem qui fuit simplex beneuolentia sublimabit in amorem amicitiæ, indeq́; erga illum feruentiore affectu propendebit, ipsi se, & suam voluntatem viuô & verô affectu deuouebit, eidemq́ue illi bona sinceriùs optabit & efficaciùs procurabit; quæ scit ipsum sibi vel suis desiderare, siquidem sua voluntas eiusdem voluntati alligata est.

Si simpliciter amamus amicum, nulli aliorum amicorum eum præferendo, illa amicitia simplex est; si autem præferamus alicui tunc vocatur dilectio : quasi si quis diceret, quòd rectus amor sit electio; quia inter plures quos amamus illum eligimus, alijsque omnibus præferimus.

Quod si æstimatio & prælatio quam habemus & faciamus de amico, sit magna, & non habeat æqualem; nihil tamen obstat quo minùs veniat in comparationem, & cum aliis habeat proportionem; amicitia illa vocabitur eminens dilectio. Verùm si eminentia illius amicitiæ non veniat in vllam comparationem & proportionem, sed sit supra omnes; tunc dicitur dilectio incomparabilis,

bilis, summèque eminens, super omnes alias; & vnô verbô erit charitas, quæ vni DEO debetur.

QVÆRES III.

Quæ sit differentia inter amorem sensitiuum & rationalem?

RESP. Magnam esse differentiam: nam amor sensitiuus cum tendat in bonum, quod est animæ minimè proportionatum, neque illi proprium & quandoque à DEO sibi prohibitum; ipsam animam non tantùm de sua dignitate deijcit; verùm etiam turpissimè fœdat, Deoque & hominibus reddit exosam, iuxta illud Prophetæ Oseæ 9. *Abominabiles facti sunt sicut ea quæ dilexerunt*, prout videre est in omnibus luxuriosis, auaris, ebriosis, &c. nam sicut corpus sordibus, sic anima amore animali fœdatur, & enecatur. Rationalis amoris obiectum est honestum, puta, prudentia, iustitia, temperantia, &c. quæ animam quidem exornant, non tamen absolutè perficiunt, quia ipsam vltimo fini in quo eius beatitudo consistit coniungere minimè possunt; hoc enim solus amor Diuinus efficit, de qua vnione infrà.

Vbi etiam aduerte, quod cum in amore concupiscentiæ homo voluntati suæ aliquod bonum subijciat, vt eô ad virtutes aut vitam suam ordinate utatur: quàm peruersè illi faciant, qui amore vnius canis, equi, voluptatulæ, lucri, &c. voluntatem suam ita constringunt; vt quasi mancipia eorum esse videantur. Amico quoque vo-

luntas nostra ita deuouenda est, vt potiùs publico bono, quatenus maiori pateat, magis autem imò incomparabiliter ipsi DEO, vt potè bono infinito obstringatur.

QVÆRES IV.

Quid sit charitas?

RESpondet D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 1. quod sit amicitia, (seu consensio) quædam hominis ad DEVM: nam si ille amor apud homines habet rationem amicitiæ, qui est cum mutua beneuolentia, quæ fundatur super aliqua communicatione *v. g.* sanguinis, officij, Ciuitatis, &c. etiam amor beneuolentiæ hominis ad DEVM, dicitur vera amicitia siquidem est reciproca: DEVS enim homini vult benè: homo vicissim DEO, deinde inter DEVM & hominem non est latens hæc redamatio; non enim latet DEVM propter suam scientiam, nec hominem propter fidem, per quam nouit DEVM diligere diligentes se: diligi verò se ipsum defacto saltem nouit ex signis probabilibus. Hæc autem beneuolentia fundatur in communicatione bonorum supernaturalium; amantes enim DEVM participant cum ipso tum in eius natura per gratiam, tum in bonis omnibus per beatitudinem ad quam ius accipiunt per merita CHRISTI. Hoc beneficium Apostolus ad considerandum nobis sæpiùs commendat ijs verbis: *Videte qualem charitatem dedit nobis DEVS, vt filij, DEI nominemur & simus. Iam n*on

estis

estis hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum: hæredes DEI, cohæredes Christi, ad societatem DEI & filij eius admissi, &c. imò & ipse Christus. *Sic DEVS dilexit mundum, &c.*

Hoc beneficium, primi Christiani tanti æstimarūnt, vt omnia sua etiam gratissima, imò ipsam vitam propter illud contemnerent in gladios, bestias, ignes, aliosq; horribiles cruciatus, se ipsos exponerent; modò illud sicut & alia etiam miracula stupenda apud quosdam pro nihilo habentur, quia præstantia & magnitudo illius pro debito non consideratur, quasi hæc ad se minimè pertinerent, vel sibi ex merito debeantur. Porrò ita sunt hæc & similia illis consideranda, ac si modò propter vnumquemq; nostrum sigillatim exhibita fuissent, quasi modo ex Paganismo vel Iudaismo ad spem Filiorum DEI, Ciuitatem sanctorum, societatem CHRISTI vocatus esset.

Et licet (vt aduertit D. Thomas citatus) hoc vocabulum (amor cum sit in appetitu sensitiuo,) sumatur interdum in malam partem, dum aliquid amatur sine electione ac iudicio; nihilominùs quia amor rationalis dicitur quid diuiniùs dilectione, nomenq; amoris plus præseferat feruoris, efficaciæ, & actiuitatis, quam nomen dilectionis; ideò charitas seu amicitia hominis ad DEVM nominatur ordinariè à Sanctis Patribus Amor.

QVÆRES V.

Quod sit obiectum amoris Diuini?

R*Esp.* Amor Diuinus non solùm versatur circa ipsum DEVM, eius omnipotentiam, bonitatem, iustitiam, sapientiam, atque alias perfectiones; sed etiam circa illud omne bonum, quod illi desiderare & procurare possumus; vti sunt, laus, honor, adoratio, &c. Insuper nos ipsi, & proximi nostri etiam inimici, etiam Iudæi & infideles: quia quamdiù viuunt, sunt capaces beatitudinis æternæ cùm DEO, sicuti & nos, à quâ diabolus est exclusus, cum quo nullum consortium est vnquam habendum & damnati. Denique & res aliæ creatæ omnes, etiam minimæ, quidquid sint, habent & possunt, sunt obiectum charitatis; sunt quippè propter eius gloriam vniuersæ; ipse eas conseruat, & per amorem cum ipsis operatur: & hæc omnia vocantur materiale obiectum amoris Diuini.

Formale obiectum eiusdem, est infinita bonitas propter quam DEVM amamus, non quatenus nobis proficua est; nam sic est obiectum spei; sed quia ex se digna est cuncta supereminens omni infinitâ æstimatione. Propterea tenemur DEO optima velle, etiam eâ charitate, quâ se ipse diligit, non ob nostrum præmium aut gloriam, sed purè & simpliciter ob bonum, & delectationem quæ in illum deriuatur. Et ideò qui DEVM amat sic, etiam ex æquo iustitiam eius, sapientiam eius & misericordiam amat, vnum

attri-

attributum quemadmodum & aliud, cum omnia infinitatem bonitatis huius æqualiter participent.

QVÆRES VI.

Quotuplices sint actus charitatis?

R*Esp.* Duplices esse. Alij enim sunt eliciti, qui proximè & immediatè ex ipsa charitate prodeunt. Alij sunt imperati, dum videlicet charitas alijs virtutibus imperat, vt in honorem & beneplacitum DEI suos actus producant, *v. g.* vt aliquis obediat Magistratui non tam ob timorem pœnæ, aut spem præmij, quàm vt DEO placeat, vt aliquis abstineat à delectationibus non tam propter sanitatem conseruandam, quàm vt DEO seruiat, vt aliquis non tam ob temporale lucrum laboret, quàm vt DEI voluntati præcipienti, in sudore panem acquirere satisfaciat, &c.

Actus eliciti charitatis præcipui sunt tres: primus est electio, qui actus quiuis est maximi momenti, & quoddam fundamentum cæterorum. Proinde debet quiuis firmiter se determinare, vt inter omnia bona creata etiam sibi gratissima, solam Diuinam bonitatem sibi præcipuè sequendam eligat, vt fauores hominum, voluptates, omnia commoda, omnia honorifica respectu bonitatis Diuinæ arbitretur vt stercora; & cum sibi aliqua & his offeruntur, nunquam cæcô impetu ad instar equi & muli, in ipsa feratur; acrè cernendo nè ista cum offensa Diuina acquirat, vel detineat; meminerit, quantas pœnas huius suæ stultitiæ Susannitæ, Holofernes, Herodes, Diues E-

pulo,

pulo, Iudas, Ananias, Saphyra, alijque sexcenti stulti rerum æstimatores dederunt. Proinde solicitè semper aduertat, nè vnquam amorem Diuinum, amori proprio, vel alicui bono caduco postponat. Ad hunc actum amoris Diuini, primò cæpit Elias populum Israëliticum adducere dicens: *Vsquequò claudicatis in vtramq; partem &c.*

Secundus est appretiatio. Cuius functiones sunt. 1. Plus DEVM facere quam omnia etiam possibilia. 2. Magis velle omnia non esse & seipsum, quam aliquam perfectionem DEI, puta iustitiam, sapientiam, &c. 3. Velle omne bonum fortiùs & magis, quam alteri & sibi. 4. Ipsi ita obedire, vt nulli alteri, magis se inclinare ad odium omnium subeundum, quam ad offensam DEI, ipsamque plùs omnibus abominabilibus inde detestari; deniq; nihil æquè, nihil suprà, nihil infra DEVM diligere.

Tertius est complacentia secunda, in bonitate DEI. Dum enim voluntati bonitas DEI per cognitionem intellectus objicitur, subitò concipit gratia DEI præueniente, & adiuuante primam complacentiam erga DEVM, aliciturq; spretis omnibus ad ipsi firmitèr adhærendum; vnde magis apprehensâ ipsius excellentiâ, amore, beneficijs; maiore etiam complacentia erga ipsum exardescit, ex qua promanant sequentes functiones; videlicet DEVM amare in ipso DEO, vt potè, oblectari recordatione bonorum, quæ DEVS habet, eò maximè lætan-

lætando, quòd DEVS sit, cuiusmodi est, vt si res vel minima eum deficeret (si ita loqui fas est) & eam ipsi largiri posses vltrò id libenterque præstares. Quin si in facultate tua situm esset, DEVM vnum eligeres non alium, quàm IESVM electurus esses, solemne illud Dauidis vsurpando. *Dixi Domino DEVS meus es*, eiisque in perpetuum, quamuis bonorum meorum non egeas. Si ea tribui tibi optares tribuerem vniuersa, vel illud Augustini. *Si ego essem DEVS, tu Augustinus, cederem iuri meo & tu sis, DEVS & ego Augustinus.* 2. Amare DEVM in suis beneficijs, in suis creaturis, in nobis ipsis. E. G. Præsentiam DEI in se, Potentiam, Dona illius magnifacere, vires suas, ad seruitium DEI custodire, partem superiorem animæ ad inhabitandum DEO tutari, à corruptione partis inferioris. 3. DEVM amare in omnibus operibus, quæ ipse moderatur & dirigit, agnoscendo quodammodo sparsas & diffusas eius perfectiones, summam inde voluptatem capiendo, quod sit intra se perfectus atque adeo laudabilis; siue cum bona largitur, siue cum iustè vindicat & punit. Præcipuè autem in Beatissima Virgine MARIA, in suisque Sanctis est amandus & honorandus. 4. Summò beneuolentiæ affectu DEO tanquam bono supremo, & Patri tuo amantissimo, in dies magis magisque appropinquare. De offensis eius dolere, & desiderare honorem DEI, de ipso gaudere. Primi duo actus possunt exerceri in diuersis actionibus, opera-

ratio-

rationibus. Tertius præcipuè in Orationibus, laudibus, missæ sacrificio. Alij actus melius patebunt ex conditionibus amicitiæ erga DEVM.

QVÆRES VII.

Quæ sint conditiones amicitiæ hominis erga DEVM?

RESP. Eas fermè esse, quæ in amicitia humana inueniuntur: nam sicut in vera humana amicitia primò ac præcipuè spectatur vnio animorum, frequens & suauis conuersatio, &c. ita in amicitia hominis erga DEVM debet vnio, seu mansio spiritualis cum DEO, ac cum illo frequens conuersatio & familiaritas obseruari. Quâpropter qui vult verus esse DEI amicus opus est, vt omnia à se remoueat, quæ inter ipsum & DEVM faciunt diuisionem, vti est quodlibet peccatum mortale. Quomodo enim DEVS homini, vel homo DEO, piô voluntatis affectu erit vnitus, quando per aliquam peruersam actionem, verbum scandalosum, obscænam delectationem deliberatè admissam, Diuinæ voluntati eiusque inspirationi repugnabit, plus sibi quam DEO deferet? Quomodo diligis eum (inquit D. August. tract. 9. in Epist. 1. Ioannis,) cuius odisti præceptum; quis est? qui dicat: diligo Imperatorem, sed odi leges eius.

Deinde cauendum est pro virili, etiam à peccatis venialibus, quî enim fieri potest vt vnus spiritus cum DEO fiat is, cuius animus terrenorum bonorum amore occupatus in DEVM parum;

rum; in res creatas totus propendet, paucis & debilibus actibus DEO, plurimis & vehementibus creaturis adhæreſcit? Præter peccata mortalia & venialia etiam à vitijs & imperfectionibus (quæ licet amicitiam ſpiritualem non tollunt, magnam tamen retardationem in illa faciunt) emundare ſe ſtudeat. Denique DEO ſe vniat per intellectum; Diuinas eius perfectiones, amorem erga ſe, & beneficia conſiderando: per memoriam, ipſius præſentiæ recordando: per voluntatem, pios affectus erga DEVM exercendo, denique per vires corporis, omnia illa in honorem Diuinum & beneplacitum conuertendo.

Hanc conditionem & legem vnionis perfectè DEVS, nullô ſuô commodô erga nos obſeruat, cum adeſt nobis intimè præſens, non otioſus, ſed tota amoris ſui infinitate nos peruadens & ambiens. Nihil enim homini magis intimum eſt quam ſolus DEVS qui ipſum ſolus creauit, à quo ſolo dependet in eſſe & conſeruari, qui ipſius talem curam gerit, ac ſi ſolus eſſet in mundo: ipſum plus diligit, quàm quis ſibi amiciſſimus, imo prius illum amat, quam ſeipſum ille: ac magis illi bona vult, ſcit, & poteſt ea præſtare, quin etiam vult vt ipſe ſibi benè bonô modô velit, qui ſolus occultiſſimis ſuis inſpirationibus, cor ipſius pulſat, illuminat, & ad vitam æternam dirigit; ſolus beneficia illi tanta contulit, confert, & in omnem æternitatem conferet, quanta nullus; ſolus incommutabile & ſummum bonum illius eſt, cui ſoli principaliter ſe in morte ſiſtet, cui ſoli to-

tus plurimis titulis obligatus est. Vnde iustissimum & competentissimum est, vt vicissim ille (si hic potest aliqua dari reciprocatio) se ipsum ab omnibus delectationibus huius mundi, & à se ipso abstrahat, emundet, purificet, vt quasi sui oblitus, totum se ad DEVM transferat, ac coram DEO in mundo sine mundo, instar animæ à corpore separatæ, in puritate mentis, in oblectatione DEI & attributorum eius, in zelo laudis Diuinæ, & totali sui resignatione hîc studeat permanere.

Ad quam vnionem vt nos DEVS suauiter attraheret; factus est HOMO, & tanto nexu se naturæ nostræ sociauit, vt idem & DEVS esset & HOMO, vnus omninò CHRISTVS IESVS, qui vt tantam DEI charitatem ad nos extenderet, non solum ita Patrem compellat: *Non pro eis autem tantùm rogo sed & pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sumus.* Verùm etiam vt statim postea addit, claritatem illam & gloriam vnionis hypostaticæ quam à Patre acceperat, per Eucharistiæ institutionem in nos transfudit. *Vt sint vnum* (inquit) *sicut tu, & ego vnum sumus. Ego in eis, & Tu in me, vt sint consummati in vnum.*

Altera conditio veræ amicitiæ est, vt tanta vnio non nisi virtute & sanctitate nitatur: est enim aliud nihil, quàm infiniti illius amoris, quô suam ipse bonitatem prosequitur deriuatio quædam, quâ eodem illo actu, quô suam ipse sancti-

tatem

tatem & bonitatem amat, eandem ab homine, participatam diligit.

Tertiam conditionem amicitia requirit, vt amor in paucos, imò si fieri potest ad vnum tantùm deriuetur. Id etiam per charitatem, ex parte nostra est faciendum. Satis clarè, & gratiosè DEVS Pater hanc conditionem charitatis S. Catharinæ Senensi proponit his verbis: *si me perfectè amare vis, voluntatem tuam ab omni amore affectuq; terreno & carnali prorsus amoueas, segreges, mundifices, ita vt in istá vita, nihil transitorium, nihil temporale ames, nisi propter me, nec* quod magis & maximum est *ames me propter te, aut te propter te, aut proximum propter te; sed ames me, propter me, te propter me, & proximum propter me: quoniam* Diuinus *amor terreni affectús, aut alterius cuiusuis amoris consortium pati non potest. Vnde quantùm te, terrenarum rerum contagione infeceris, tantùm & in mei amore peccabis, & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe, vt munda & sancta sit, omnia quæ corpus sentit fastidire necesse est. Effice igitur ne quidquam ex his, quæ á bonitate mea vestros in vsus profecta sunt, te ad me amandum impediat, sed omnia adiuuent, accendant inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, vt bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoq; amore prosequeremini. Perstes igitur appetitu lumbisq; succincta, ac vigilanti custodiá te semper obseruans, terrenis concupiscentijs, quas vndecunq; tibi mortalis vitæ miseria, & corrupta suggerit natura, alacriter resiste; vt cum Propheta*

meo

meo dicere possis : qui perfecit pedes meos id est affe-ctus qui animi pedes sunt *tanquam ceruorum ad fugiendum canes ; id est laqueos concupiscentiæ terrenarum rerum : super excelsa statues me ; id est in contemplatione.*

Ex parte Dei hæc conditio minimè deficit, nam licet ille totum mundum magnâ ratione gubernet, nihilominùs quia ipsius natura & potentia est infinitæ actiuitatis, ita curat vnumquemque nostrum (S. August. lib 3. Confess. Cap. 11.) tanquam solùm curaret, & ita omnes tanquam singulos, *qui finxit sigillatim corda ipsorum, & intelligit omnia peccata eorum,* inquit. Psaltes Diuinus. Christus quoque Dominus ita pro omnibus, ac si pro singulis est crucifixus & mortuus, vt vnusquisq; possit sibi iustè vendicare illa verba S. Pauli. *Et qui dilexit me tradidit semetipsum pro me.* Quam charitatem Christvs Dominus omnibus trutinandam per S. Melchtildem lib 1. Spir. Grat. Cap. 22. commendat : cum enim hæc Sancta illum interrogâsset, quid sibi in homine maximè complaceret, respondit ei Dominus : vt quilibet cum magna gratitudine perpendat, & iugi memoriâ reuoluat omnium virtuosorum operum exercitia, quæ in terris operatus sum, & omnium pœnarum & iniuriarum, quas sustinui, triginta tribus annis in quanta vixi miseria, & quanta mihi exhibebatur contumelia à mea creatura, & tandem mortuus sum in cruce morte amarissimâ, ob amorem huius animæ, quam mihi sponsam mercatus sum meo

pretio-

pretioſo ſanguine. Hæc omnia vnicuique ita ſint accepta & grata, ac ſi ad ipſius ſolùmmodo ſim perpeſſus ſalutem. Vnde grauiter conqueritur contra quandam animam damnandam propter neglectum paſſionis ſuæ lib: 6. Reuel. S. Brigittæ Cap. 8. *Ecce illa anima non eſt mea, de vulnere quippe lateris mei & cordis mei nonplus compaſſa eſt, quàm ſi perforaretur clypeus inimicæ eius; de vulneribus manuum mearum tantùm curauit, ac ſi pannus gracilis rumperetur; vulnera etiam pedum meorum tam mollia illi fuerunt, ac ſi videret ſcindi molle pannum:* Et ſubdit; *Sic ego tantô pretiô, tantâ amaritudine te redemi, ſicut aliquem Sanctorum meorum, licet tu modicùm curaſti! Verùm ſicut puer abortiuus non habet dulcedinem de vberibus maternis, nec conſolationem de verbis, neque de pectore calorem, ſic tu nunquam habebis dulcedinem, &c.* Item Cap. 52. anima cuiuſdam mulieris damnatæ (S. Brigittæ dixit hæc) Cerebrum meum defluit ſicut pix, quia de ſanguine FILII DEI non plus attendebam, quàm de pice, &c. Porro CHRISTVS in anima & corpore paſſus eſt, nè homo in anima & corpore periret.

Quarta conditio eſt; quæ ſimilitudinem quandam exigit, imò æqualitatem inter amicos; nam amicitia aut parem accipit, aut facit, vt inquit D. Hieronymus: cùm autem non longè diſſimiles & impares naturâ, non modò abiectiſſimi ſerui, ſed etiam filij iræ eſſemus, nec ad eam excellentiam aſpirare poſſemus, quæ ad veræ &

perfectæ amicitiæ coniunctionem necessaria est; eam ipse DEVS nobis à se deriuatam impetijt. Nam ideo etiam homo factus est, vt Diuinæ nos naturæ consortes efficeret; & nobis similis per omnia (sine peccato) redditus est, vt eius sanctissimas virtutes imitaremur, similesque facti in vita ipsius, post mortem cum ipso conglorificaremur.

Quinta; iudiciorum & voluntatum conformitas; vnde nos idem velle quod DEVS vult, idem nolle quod DEVS non vult obligamur; DEVS vicissim *voluntatem timentium se faciet.* De hac voluntatis nostræ conformitate DEVS PATER S. Catharinam Senensem, & per ipsam nos commonet: Summô desideriô quæras, nitaris, & studeas, ad hanc peruenire mentis dispositionem, vt mihi ita coniuncta sis, tuaque meæ (quæ perfectissima est) ita similis sit conformisque voluntas; vt nolis non solùm malum sed & bonum, quod ipse nolim, vtque eueniat, quidquid velit, & vndecunque velit in istius vitæ miseria, siue spiritualibus, siue temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbeturuè quies mentis tuæ, sed inconcussâ fide semper teneas me DEVM tuum omnipotentem, magis amare te, quàm tu te ipsam, meque tui diligentissimam habere curam, & multò diligentiorem quàm tu. Quantò magis sic te mihi commiseris, dederisque; tantò magis te adiuuans tibi semper adero; & tu ipsa clariùs senties, circa te dulcissimam charitatem meam. Ad hanc autem

perfecti-

perfectionem perueniri non poteſt, niſi per ſtabilem, conſtantem, ac abſolutam propriæ voluntatis abnegationem, quam qui præſtare negligit; ſimul hanc excellentiſſimam perfectionem negligit: qui verò libens præſtat, ſimul integerrimam voluntatem meam integerrimè exſequitur, mihíque ſummè placet, & me ſecum habet; quoniam mihi gratiùs ac iucundiùs nihil eſt, quàm per gratiam vobiſcum agere, in vobis habitare, meæque ſunt deliciæ, cum filijs hominum eſſe: & vt volentes ipſi (nolo enim liberi ius arbitrij violare) à me, in me per gratiam transformentur, vt ſint vnum mecum participatione perfectionis meæ, præcipuèque pacis ac tranquillitatis meæ. Vnde quidam talem praxim huius cõditionis præſcribit. In rebus ſingulis voluntatem noſtram Diuinæ conformando, quaſi præſentem eum intueremur, noſque his verbis compellantem: Fili mi volo te hâc horâ hoc facere vel pati; ita vt reſponſum illi ſubijciamus huiuſmodi: Volo ô DEVS meus quando ita vis ſic hanc actionem exſequi, ægritudines corporis pati, miſerias famis, frigoris, peſtis, &c. mortem etiam ipſam acceptare, &c.

Sexta. Beneuolentiam varijs officijs veluti interni animi teſtibus fouere & accipere. Hæc quoque conditio à nobis in amore erga DEVM eſt obſeruanda, vt quò maiora noſtri exſtabunt erga ipſum amoris ſigna; eò etiam certiores erimus nos ab eo diligi, atque adeo, noſtram hanc amicitiam mutuam eſſe. DEVS optimus exhi-

bet tot officia, & externa sui in nos amoris signa, nam creaturæ omnes, & vniuersa DEI opera clamant, quod diligat nos; præcipuè verò ipsum redemptionis opus. Item particularia beneficia cuique exhibita, singulariter autem hoc nobis argumentum esse voluit nos à se diligi si eum diligamus. *Ego inquit diligentes me diligo.* Et iterum: *Si quis dil git me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.*

Iam verò ad septimam, nempè secretorum & consiliorum communicationem veniamus, DEVS enim suis sinceris cultoribus in hoc statu solet fidei & sapientiæ, ac scientiæ lumen augere mirum in modum, & proficientem, in Diuinorum mysteriorum, in suæ voluntatis & prouidentiæ circa mundi gubernationem secreta profundiora, penitùs inducere. Sic enim Apostolis dixit CHRISTVS Dominus: *Quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ex nostra verò parte quanquam illi omnia cordium nostrorum arcana patescant. *Omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius*; ipsa tamen amicitiæ ratio exposcit, vt tanquam fidelissimo amico, profundissimam cordis nostri abyssum detegamus, nostras ei miserias ex integro aperiamus; si quid aduersi vrgeat exponamus nostras necessitates; si quam noxam contraximus, ingenuè fateamur. Denique ea quæ secreta hominibus esse volumus, omnia illi familiariter committamus.

Octaua conditio est: bonorum quorumcunque mutua communicatio; & certè si charitatis

tatis ponderi obsequamur; nos etiam ipsos, nostraque omnia in Dei obsequium profundemus, siue sint illa bona fortunæ, siue corporis, siue animi, vnusquisque iuxta possibilitatem vocationis suæ & virium. Hæc enim DEVS Optimus nobis ideò donauit, vt haberemus in quo amorem erga illum nostrum testaremur, & quod illi vicissim ex verâ amicitia reddere possemus. Et quanquam fama, honores, apud homines existimatio, & authoritas, vera bona non sint, tamen vtilia ad Dei gloriam quandoque esse possunt. Quare Deus omnium author, hæc etiam quæ plerumque ab hominibus magni fiunt, ita dispensat, vt suos amicos insigni apud homines authoritate; siue ob sanctitatis opinionem, siue ob aliquam aliam excellentiam pollere velit; vt suæ etiam gloriæ in hac vita illos participes efficiat. Hæc non ita percipiuntur, quàm si homo illis priuaretur.

Fingat ergo se aliquis carere lumine solis; commoditatibus aquæ, áèris, & alijs communibus beneficijs; item particularibus sigillatim quibus modo gaudet; demum subsidijs pro vita æterna, fingat se inquam, his modo se esse destitutum; deinde quasi ipsi denuò à Deo darentur, quantùm pro ipsis esset gratus, quali charitatis affectu illas conuerteret, illis vteretur pro laude & seruitio DEI, quantùm ferueret amicitia erga ipsum, &c.

Nona conditio: vt amicus non quæ sua sunt quærat, sed quæ amici; sibi non viuat, sed ami-

co, cuius bonum etiam vitæ ſuæ, ſi opus ſit anteponat: ſic enim CHRISTVS Dominus nos dilexit. *Nam cùm in forma* DEI *eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Reddiderunt vicem omnes eius veri amici, Martyres potiſſimùm, qui pro Deo & Diuinis legibus, pro fide, & Religione, pro Diuinæ amicitiæ iure, fortiter occubuerunt. Idem fecerunt, qui ſuam libertatem, commoda, voluptates, honores, Dei Gloriæ poſthabuerunt. In hac conditione includitur zelus, qui eſt intenſus amatorum Dei affectus, quô diligentiſſimè quis quærit Dei honorem, proximorumque ſalutem. Eius functiones ſunt: 1. Optare toto cordis deſiderio, vt omnes Deum noſcant, ament, honorent, ipſi ſe ſubijciant, præcepta eius, & S. Eccleſiæ obſeruent, &c. Quidquid honori Dei & proximorum ſaluti opponitur, fortiter, conſtanterque repellere. 2. Laborare pro hoc, Prædicatione, Confeſſionum auditione, doctrinâ & alijs miniſterijs, tantùm, quantùm vires; Diuinâ iuuantè gratiâ, ſuppeditabunt. 3. Pia deſideria, Orationes, ieiunia, & alia bona opera pro ſalute animarum Deo offerre. 4. Pauperes, diuitibus; ignobiles, nobilibus: ſi maius obſequium Dei ſperatur, in noſtris miniſterijs præponere. 5. Ea, quæ ſolùm laborem habent, ſi proximis vtilia ſunt, commodis noſtris, & honorificis titulis

præter-

præferre. 6. Omnia commoda, quin etiam ipsã vitam, si necessarium sit, pro gloria Dei offerre. 7. Propriam salutem animæ, quàm aliorum impensiùs curare, nec enim æqualiter proximum vt nos, sed similiter iubemur amare. 8. Exemplô sanctæ conuersationis omnes iuuare, & plùs operæ in eo, vt potè magis efficaci, quàm in verbis & laboribus exterioribus insumere. 9. Pro exemplo & ædificatione aliorum, aliqua commoda etiam corporis necessaria relinquere. 10. Si laboribus nostris speratus fructus non respondeat dolere, & fructum à Domino postulare.

Hanc conditionem minimè ille obseruabit, qui perpetuò proprijs vult studere commodis, labores fugere, indulgere otio, libertatem sectari, humanæ gloriæ, & fauoris auram captare.

Decima est mutua cõfidentia. Et sanè id expertus erat, qui fideles hortabatur, omnem fiduciam proijcere in Deum, quoniam inquit *ipsi cura est de vobis*, quare hoc etiam amicorum DEI proprium est, vt qui habitant in adiutorio Altissimi, in protectione tutissima, tam boni, tam potentis, tam fidelis amici perpetuò commorentur, ne quidquàm humanorum casuum vereantur; certi, nihil euenire posse, quod non in bonum eis coöperetur. Vicissim Deus ipse magnis suis amicis, magnam vt ita dicam habet fiduciam; nam si quod magni momenti negotium vrgeat, si graue & periculosum negotium contra fidei hostes, contra mundi potestates immineat, si difficilis instet expeditio, illis vtitur liberè ad

suam gloriam, & charissimam sibi hominum salutem, & Ecclesiæ suæ procurationem, quales boni Pastores animarum, parochi, zelosi Religiosi, &c.

Vndecima tandem veræ amicitiæ conditio est, vt sit constans & sempiterna, nec vnquam vllô casu dissolubilis. Equidem Diuina charitas nunquam excidit, ex parte enim Dei sine pænitentia, est donum eius, nec vnquam nisi ipsi initam cum Deo amicitiam discindamus, à nobis recedit. Æternus est eius erga nos amor, & si volumus, sempiternus, dicit enim : *in charitate æterna dilexi te, & ideo attraxi te miserans tui.* Restat ergo vt hæc dissolutio ab humana voluntate pendeat, quæ cum totô se studio ab omni peccati impuritate integram & illibatam conseruare nititur, nihil ita horret, vt ea, quibus vel cum momento à Deo diuelli potest. Ad hanc stabilitatem nos S. Apost. suo & aliorum exemplo cohortatur, dicens : *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.*

Si quis, in prædictis conditionibus amicitiæ erga Deum sese exercebit, mediante oratione, & sui ipsius mortificatione, maiores, & maiores progressus faciet : Donat enim Dominus bonum spiritum petentibus se, & quem vrget præceptô, præuenit auxiliô. Ad hoc exercitium D. Paulus, per suum Timotheum (1. Timoth. 4.) vrget & nos illis verbis : *Exerce te ad pietatem.*

Nam

Nam qui nunquam incipiet nunquam proficiet; porrò nihil asuetudine maiùs, actiuiùs, præsertim illis qui gustant, quàm suauis est Dominus: eadem & tibi Lector gratia offertur à DEO.

QVÆRES VIII.

Quomodo charitas acquirenda?

RESP. Auctorem charitatis primum esse DEum, quam tunc nobis impertit, dum fauorabile suæ inspirationis verbum in nos immittit, quæ inspiratio suaui cum violentia in corda veniens ea occupat, & cogitationes mouet, extollit, impellitque affectiones in auram Diuini amoris. Vnde hæc ipsius prima motio est concussio, quam Deus indit cordibus nostris, vt ad proprium bonum per ea nos euigilare faciat, fit equidem in nobis sed non à nobis: id enim fit ex improuiso antequam cogitauerimus vel cogitare potuerimus, eò *quòd sufficientes non simus* 2. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis* (quod ad nostram salutem faciat) sed nostra sufficientia ex Deo est, qui non solùm antequam essemus dilexit nos, sed etiam vt essemus, & quidem sancti & immaculati essemus: in quo nos præuenit in benedictionibus Paternæ dulcedinis suæ impellens animos nostros ad salutarem pænitentiam & conuersionem.

Ex parte ergò nostra opus est, vt has eius benignas præuentiones grati suscipiamus, eiusque sanctis inspirationibus, vocationibus, alle-

ctionibus libenter correspondeamus: præbet ipse per Sacras scripturas, prædicatores, &c. modos quibus nos ad suscipiendum hoc donum cœleste gratiæ & charitatis disponere possimus. Sunt autem hi præcipui; primò complacentia in Deo, dum eius nobis Diuina bonitas, & amor erga nos per fidem innotescit, timor DEI, humilitas, Oratio, vera contritio, vel saltem attritio, cum Sacramentis legitimè susceptis; de quibus illa verba Sacræ Scripturæ: *Ego diligentes me diligo. Initium sapientiæ timor Domini, super quem requiescet spiritus meus. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Quantò magis dabit* DEVS *spiritum bonum petentibus, se, &c.*

Vnde si interoges, quî fiat, quod in Diuino amore non eos facimus progressus, quos S. Augustinus, S. Franciscus, S. Catharina Senensis: S. Francisca, &c, faciebat. Respondet Franciscus de Sales id inde fieri, quod DEVS nobis ad id non elargitus est gratiam. Si autem instes rogans, cur elargitus non sit? in promptu est responsum: Quia ex parte nostra Sacris eius inspirationibus defuit consensus & mutua conspiratio. Pergis vlteriùs vrgere: cur autem non conspirauerimus? quia cum libero essemus præditi arbitrio, eo abusi sumus. At inquis: cur nostro abusi sumus arbitrio? Hic iam gradum siste, quia vt dicit S. August. deprauatio nostræ voluntatis ex nulla prouenit ratione, sed ex defectu causæ, quæ peccatum committit: stultum autem esset non solùm dicere, sed vel cogitare, quod

quod reddi posset ratio defectus qui committitur peccando; quia defectus ille seu error, quem committendo, deflectimus à recto tramite, non esset peccatum, si esset cum ratione. Et quamuis peccatores aliquando allegant causas suorum peccatorum, illæ causæ non sunt causæ; nam ipsos arguet malitia ipsorum, quòd nihil vel parum voluerint pati vel omittere propter DEUM, cum interim propter sua commoda multa tolerauerint, & omiserint.

Inde collige quanti momenti sit lumina & inspirationes quas Deus cordi nostro immittit, obseruare, & ad executionem deducere, iuxta illud monitum Psalmistæ. *Hodie si vocem eius audieritis, &c.* quia per hæc minora sensim ad maiores progressus Deus obtemperantes sibi deducere consueuit, vti è contra resistentes cum Pharaone, &c. reijcere.

QVÆRES IX.

An in singulis actibus sit charitas exercenda?

R*Esp.* Cum Bassæo per sequentes, conclusiones ver. *Charitas.*

1. Quamuis nullus actus planè rationalis ac deliberatus in diuiduo indifferens sit, secundùm rationem bonitatis ac malitiæ moralis, vt docent D. Thomas & alij DD. Sunt tamen in homine tum peccatore, tum iusto actiones indifferentes secundùm meritum vitæ æternæ, quando nempe homo opera bona virtutum exercet, sine vllâ, seu actualiter præsente seu præteritâ & vir-

tualiter manente charitatis relatione in Deum: attamen tum iusti, tùm peccatores possunt per opera moraliter bona de congruo mereri bona temporalia: Attentâ enim Dei bonitate & liberalitate, congruum videtur quod operibus moraliter bonis bonum aliquod reddat eiusdem ordinis.

2. Ad promerendum singulis actionibus bonis augmentum gratiæ ac gloriæ æternæ non sufficit homini iusto, quòd principio anni, mensis, hebdomadæ, diei, totum se Deo ex charitate offerat, cum proposito omnia ad ipsius gloriam operandi, sed necesse est vt propositum hoc efficax sit; id est, vera causa operum subsequentium existat; cum fieri soleat, vt postea multa agat, non vi eius propositi, sed ex motiuo merè humano, aut etiam moralis solùm honestatis. Propterea imperium charitatis virtuale, quod requirunt DD. Thomas, & Bonauentura, tanquam necessarium, vt aliarum virtutum actus possint esse meritorij; non est aliud quàm actus voluntatis, quô ipsa per charitatem informata, & à Deo per gratiam mota illos actus imperat, ipsos ordinando in finem charitatis, hoc est in honorem & gratiam Dei: Hinc omnia quarumcunque virtutum opera, quæ ab homine iusto fiunt per auxilium gratiæ, possunt dici ex aliquo imperio charitatis fieri: cuncta enim eiusmodi opera non fiunt, nisi voluntate (per charitatem informata & à Deo per gratiam mota) volente vt fiant & vel explicitè, vel implicitè,

ordi-

ordinante seu referente illa in finem charitatis.

3. Nefas est ita diligere DEVM propter mercedem vitæ æternæ, principaliter & finaliter, vt vita æterna vel constituatur finis omnium vltimus nostræ dilectionis, vel sic propter eam diligamus Deum, vt aliàs non essemus eum dilecturi. Ratio prioris est quia Deus debet esse noster finis simpliciter vltimus; quamuis autem nostra vita æterna consistat in Deo, sicut in obiecto beatitudinis: ipsa tamen Dei visio, fruitio, & comprehensio, non est Deus; sed aliquid creatum. Ratio posterioris est, quia Deus cùm sit summè bonus, & propter se summè amabilis, debemus eum diligere propter se, etiam datô quod nobis nihil commodi proueniret ex eius dilectione: vnde talis amor mercenarius est, cuius ratio finalis ac principalis est, vt merces acquiratur; quare qui ita Deum diligit, plùs se quàm DEVM diligit. Tamen fas est Deum diligere propter mercedem vitæ æternæ, tanquam finem minus principalem, & causam impellentem, quia vita æterna est à Deo constituta merces ac finis bonorum operum, iuxta illud 1. Petr. 1. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Imò de fide est licere Deo seruire, siue ipsum diligendo, siue alia virtutum opera exercendo propter mercedem, seu intuitu mercedis æternæ, vt docet & definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, Anathema sit.*

4. Quan-

4. Quandoquidem probabile sit præceptum charitatis, & dilectionis Dei, obligare paulo post vsum rationis, quando scilicet quis aduertit, & secum reputat rationes, quas habet amandi Deum super omnia, ei seruiendi, & sua omnia ad eius gloriam referendi, vt colligunt Scotus, Nauarrus, Bannes, & alij, & D. Thomas. Ideò Parentes, Parochi, Confessarij pueros ac rudes admonere debent, vt cogitent, à quo creati & cur in hoc mundo positi sunt, nimirùm vt Deo rerum omnium auctori ac Domino seruiant, ad ipsum tanquam ad finem suum actionibus suis tendant, vt non sibi sed ipsi viuant; cui in perpetuum vniti esse debent. Ad meliorem præmissorum declarationem offero doctrinam, quam Ioannes à I. M. Carmelita Disc. vir pijssimus, & eruditissimus, in libello de Arte viuendi spiritualiter part. 1. Cap. 7. conscripsit. Mirùm sanè est, multos facere cum spiritu id ipsum possint, quod sine spiritu, ac Dei non recordando, nec vllum actuum interiorum exercitium adhibendo faciunt; atque id non modò sine vllo suo dispendio, verùm etiam maiori meritô ac consolatione sua facere possint; tantùmmodò quod virorum rerum Diuinarum peritorum consilijs nō auscultent; vitam vniuersam sine vllo prorsus profectu & commodo animæ traducere, eaque quæ professionis suæ sunt, gentili quodam & profano modo exequi. Vt Exemp. causâ; si studiosus aliquis Academicus, qui septem octo- pè studio literarum annos impendit; & indè do-

ctrinâ & scientiâ comparatâ digrediens, reliquum vitæ tempus in actionibus professioni suæ proprijs exequendis transigit; duntaxat vt temporales facultates conquirat: si hic inquam fortè totô illô quô studuit tempore, non alium sibi præfixum scopum habuit, & aliud non intendit; quàm solùm scientiam hanc addiscere; à lectore ipse peto, ecquæ sit hunc inter & gentilem, qui Athenis olim eidem scientiæ, vel iurisprudentiæ, vel medicinæ arti, vel alijs comparandis incubuit, differentia? Gentilis sanè ille non minùs quàm hic studuit, vt hanc scientiam vel facultatem addisceret; si verò vlteriùs non progrediatur Christianus, nec aliquam harum studij actionum spiritualiter faciendarum rerum adueniat, infinita bona æterna perdit, atque ita de reliquo vitæ tempore pro ea quam studendo comparauit scientia vtitur; cauendum est, nè plurimi Christiani hac in parte acriter coarguendi sint, & fortasse magis quàm id ipse queam exprimere. Idem de Principibus illis dixero Christianis, qui in rerum publicarum suarum administratione animum ad spiritûs Diuini sublimitatem non euehunt, sed quibus satis est, si vel finem illum moraliter bonum intendant, quem etiam Ethnici Reges, ac Principes sibi propositum habebant; pacem scilicet Reipublicæ; qui quod vitæ spiritualis arti non incumbant, reliquas suas actiones ab omni prorsus merito steriles ac infecundas faciunt; cùm tamen, si doctrinâ spirituali vterentur, easdemmet rationes

modò quodam superiori ac Diuinô, maiori etiam suô meritô, maiorique etiam ad bonum publicum vtilitate facere possent. Circa duo hæc quæ adduxi exempla rogo, num propterea Princeps, vel studiosus, ille in regendo, hic in studendo, maiorem laborem habituri essent, si hæc officia spirituali quodam modô obirent; nùm quid honoris, commodi, aut voluptatis hoc pacto amissuri? Nequaquam; imò verò hi ambo labores, multò & faciliùs, & cum maiori consolatione, & vberiori cum fructu suscipient. Idem Philosophandum de artificibus, rusticis, famulis, &c.

Prius igitur lector, cuiuscunque demum statûs sit, apud se proponat spiritualiter viuere, Diuinæque bonitati confidat, hoc se in proposito ab illa adiuuandum, confortandum, & multò maioribus bonis, cum pace & satisfactione conscientiæ suæ locupletandum.

Res planior fiat exemplo. S. Anzelmus cuidam Religioso quærelam deponenti, quod à suis superioribus temporalibus curis implicaretur; quas ipse vt vitaret sæcularem statum deseruerat, ita respondit. Omnis hominum vita simillima est rotæ frumentariæ, quæ nunquam moueri & versari desinit, sed interest inter homines qui eam curant. Alij enim sic farinam defluentem negligunt, vt tota in flumen relapsa pereat. Alij partim seruant, partim negligentiâ perdunt. Alij demum subiectô saccô totam excipiunt. Ex primo genere sunt ij sæculares, qui nunquam men-

mentem ac cogitationem ad æterna erigunt intenti caducis & terrenis. Ex secundo sunt qui licet in sæculo degant, aliqua tamen bona ac sæcularia peragunt, eleemosynas tribuunt, frequẽtes sunt in templo, ægrotos visitant. Atque ij pro operum mensura tantundem præmij accipient. Vltimi sunt Religiosi, qui quoniam ex superiorum suorum iussu eiusmodi rebus implicantur, quamuis temporale sit quod agunt, nihil tamen eis de suo labore deperit, quin etiam licet negotijs id exigentibus, quidpiam cogantur, vel propter communem disciplinam agere, vel de communi disciplina remittere, hæc tamen omnia obedientiæ virtus compensat, eaque farinam totam diffluentem, ac puram ita colligit & recondit, vt ad illos in omnem æternitatem alendos sufficiat. Quod ergo Religiosis obedientia, hoc sæcularibus pia intentio præstare poterit.

QVÆRES X.

An Idiotæ possint perinde ac docti exercere actus charitatis?

R*Esp.* Affirmatiuè. B. Ægidius vnus è primis S. Francisci socijs, die quodam dicebat S. Bonauenturæ: O beati vos qui scientijs estis exculti, quia permulta scitis, quibus potestis Deum laudare! nos autem Idiotæ quid faciemus? Respondens illi S. Bonauentura dixit: Gratia quæ inducere valet ad amandum Deum sufficit. Instat Frater Ægidius; Pater mi? Potestnè ignarus

rus tantùm amare Deum, quantum literatus? Pòtest inquit S. Bonauentura: imò tibi dico, quod simplex quæpiam Fæmina, tantùm potest Deum diligere, quantùm Doctor Theologiæ. Hoc audito Frater Ægidius abreptus amoris feruore exclamauit: O humilis & simplex Fæmina, Saluatorem amato, & poteris tantùm valere apud Deum, quantum Frater Bonauentura: quô dictô tribus horis mansit in Ecstasi. Voluntas equidem non perspicit bonum nisi interueniente intellectu, eô autem perspectô non habet illô opus ad exercendum amorem: vis enim delectationis seu gaudij quod sentit, vel sentire intendit ex vnione sui obiecti, eam sat potenter trahit ad amorem, & ad desiderium eius fruitionis, ita vt notitia boni ortum tribuat amori non mensuram. Quemadmodum enim cognitio iniuriæ cuipiam factæ eum commouet ad iram, quæ si non subito suffocetur, ferè semper fit maior, quam requirat subiectum, eò quòd passiones non sequantur cognitionem quæ illas commouit; sed frequenter relinquant à tergò, & accelerent gradum sine vllo termino, & limite versus suum obiectum. Porro id adhuc magis euenit in sacro amore, quia voluntas nostra non est applicata per cognitionem naturalem, sed per lumen fidei, quæ certos nos facit de infinitate boni in Deo contenti, nobis præbens sufficientissima argumenta amandi Deum totis nostris viribus. Et S. Thomas (quem pro se citat Franciscus de Sales, de amore Dei lib. 6, Cap. 4) asserit persæpe eueni-
re, vt

re, vt ſimplices, quin & fæminæ ipſæ abundent maiore deuotione, & communiter capaciores ſint Diuini amoris acquirendi, quàm gnari, & docti. Ratio huius poteſt peti ex Apoſtolo, qui dicit : *ſcientia inflat, charitas ædificat.* Vnde S. Auguſt. lib. 8. Conf. Cap. 8. ait : ſurgunt indocti, & cælum rapiunt, nos cum doctrinis noſtris ſine corde : ecce vbi ? volutamur in carne & ſanguine, &c.

QVÆRES XI.

An occupationes legitimæ nos in vſu & praxi amoris Diuini impediunt?

RESpondet Franciſcus de Sales lib. 12. de amore Diuino, Cap. 4. quod in omni bono ſtatu actus amoris Diuini poſſunt exerceri : Curioſitas, ambitio, inquietudo, cum inaduertentia & inconſideratione finis, propter quam ſumus in hoc mundo, in cauſa ſunt, quod millies plura habeamus impedimenta, quàm negotia ; plures obcurſitationes, quàm operationes ; plùs longè occupationis, quàm faciendi operis. Et hæc ſunt impedimenta, ac remoræ, id eſt : inanes, vanæ, ſuperfluæ occupationes, quibus dum nos inhæremus ab iiſdem diuertimur, & auertimur ab amore Diuino quo fit, vt quæ vocationis noſtræ ſunt negligamus. Rex Dauid, & poſt eum S. Ludouicus, inter innumera pericula, labores & negotia, quæ ſiue in pace, ſiue in bello habuerunt, non intermittebant verè cantare. *Quid mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? ó* DEVS

cordis mei. S. Bernardus non diminuebat progressum quem in Sacro amore intendebat, & facere consueuerat, esto in medijs aulis, & exercitibus summorum Principum & Monarcharum versaretur, vbi toto corde sese impendebat, vt negotia inter eos controuersa, pacificè componeret, & ad DEI gloriam & obsequium reduceret.

Probè calleo, Theotime, monitum sapientū

Exeat aula qui velit esse pius.

Nulla fides, pietasq; viris qui castra sequuntur.

Hinc Israëlitæ iustissimam habebāt causam, se apud Babylonios vrgentes, vt sibi cantarent de Canticis Syon, excusandi, & dicendi. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* At, aduertisnè etiam, miseros illos homines fuisse, non solùm inter Babylonios sed insuper Babyloniorum captiuos ? quicunque autem est mancipium fauorum aulicorum, successuum, & promotionum, palatiorum, nec non gloriæ bellorum : actum est ; ô DEVS ! nequit ille cantare canticum Diui amoris. Verùm est, qui non est in aulis, non in bellis, non in palatijs, nisi ad proba pro Dei honore præstanda officia. Deus assistit, & dulcedo cælestis ei est, locò epithematis supra cor ad eum à peste, quæ passim in dictis locis regnat præseruandum.

Laborantes quoque fuerunt, Nóè S. Iosephus, S. Vitalis, S. Isidorus & sexcenti alij, nihilominùs & per illos labores, in vnione DEI proficiebant ; nec enim per solam orationem, sed

etiam

etiam per operationem, & patientiam aduersitatum possumus imperante charitate DEO vniri, prout animaduertere licet in tot Martyribus, & Confessoribus, tot cruciatus, tot ægritudines, despectus, &c. patienter ferentibus: imò est communis sententia Magistrorum spiritualium, quòd magis & plùs possumus mereri per afflictiones, quàm per actiones: sint exemplo Tob. Lazarus. Thobias & sexcenti alij. Vide Reu. S. Brigit. lib. 4. cap. 32.

QVÆRES XII.

An in paruis rebus amor Diuinus poßit exerceri.

RESpondet Franciscus de Sal: lib. 12. de Amore Dei cap. 6. in hunc modum. Sunt nonnulli, qui faciunt proposita exhibendi Christo obsequia, comprimis excellentia per actiones item excellentes, perq; extraordinariam rerum aduersarum tolerantiam; sed actionum huiusmodi & tolerantiæ rerum molestarum, nec est præsens occasio, nec fortè vnquam est futura. Et his quidem propositis & delineationibus animorum sic factis, credunt se magnum amoris opus, & actum fecisse: sed persæpe, perq; grauiter hallucinantur ipsi, & decipiuntur egregiè, vt in hoc apparet: quod complexi voto, solùm magnas in futurum cruces, vt illis videtur magno ardore & studio, fugiunt præsentes, quæ longè sunt minores. Næ illa profectò maxima est tentatio, esse tàm promptum in imaginati-

one, tàm esse ignauum in executione.

Auertat DEVS ardores à nobis illos imaginarios, qui sæpenumerò in intimis nostrorum cordium recessibus, alunt vanam & abditam nostri ipsorum æstimationem. Magna & excellentia opera non semper, nec vbiq; nobis sunt obuia, sed omni horâ, imò, & momento possumus excellenter parua, id est magno cum amore exercere. Aduerte, amabo, Theotime, quod sanctus quispiam, qui dat propter DEVM haustum aquæ frigidæ pauperi, & sitibundo viatori, rem præstat exiguam, vt videtur, sed intentio, suauitas, & dilectio, quibus animat suum opus, tantâ pollent excellentiâ, vt aquam istam simplicem, in aquam vitæ, & quidem æternæ conuertant.

Apes inter lilia volitantes, sicut & inter rosas, interque flores colorum varietate iridem referentes (cuius & nomen habent) prædantur, sed non minorem prædam agunt super flores minutos, rorem *v. g.* marinum, & thymum, imò non solùm plùs mellis ex ijs colligunt, sed etiam melioris, eò quòd in paruis istiusmodi vasculis, mel includatur meliùs, ac proinde etiam meliùs conseruetur. Certè in humilibus, & ad speciem contemptibilibus deuotionum exercitijs charitas exercetur, non solùm frequentiùs, sed communiter etiam maiori cum humilitate, & quod hinc sequitur vtiliùs & commodiùs. Inclinationibus & minus gratis alterius humoribus aliquid concedere, suffragari etiam (vbi tamen abest peccatum)

tum) agrestibus & molestis agendi proximi modis, victoriæ contra nostras ipsorum affectiones & passiones, renuntiatio minimarum etiam nostrarum inclinationum, conatûs superandi nostras auersiones & repugnantias, acceptatio sinceræ & fraternæ admonitionis ob nostras imperfectiones; continuus labor, quem subimus, & pugna quam inimus, in continendis nostris animabus; in æqualitatis & constantiæ officio; amor nostri ipsorum abiectioni, benedicta & gratiosa acceptatio & receptio, quâ nostri ipsorum contemptum, quâ censuras nostræ conditionis, nostræ vitæ, nostræ conuersationis, ac nostrarum denique actionum humili excipimus animo; Theotime, plus emolumenti spiritualis conferunt nostris animabus, quam non dico scire, sed ne imaginari quidem valeamus. Suppono autem ea omnia fieri, acceptari, ferrique iuxta normam cælestis dilectionis: Charitas enim vera; patiens est, benigna est, non irritatur, non inflatur, &c.

QVÆRES XIII.

Quæ est praxis charitatis proximi.

RESP. Sicut in amicitia humana, eodem amore diligimus socios, vel seruos imò & canem amici, quo diligimus ipsum amicum, quamuis amor hic sit reflexus: ita proximum non alio respectu magni æstimare, ipsi bonum, vel benè velle debemus, quàm respectu ipsius DEI, si amorem nostrum meritorium esse volumus: Videlicet quia est imago & similitudo DEI, creatus ad

communicandum cum bonitate Diuina, ad participandam gratiam, & ad fruendum gloriâ sempiternâ, &c. Vnde amare proximum per charitatem est amare DEVM in homine, vel hominem in DEO: est amare solùm propter amorem ipsiusmet DEI, & creaturam propter DEVM.

Quod vt melius in praxim deducatur, opus est in quolibet homine, etiam infimæ sortis principaliter aduertamus animam ipsius, illique ex animo optemus, vt sit pura à carnalibus desiderijs, concupiscentia rerum terrenarum non fædata, vt sursum corde ad DEVM & cælestia feratur, vt sit in amicitia DEI, eiusque amore prædita, aptaq; ad felicitatem æternam.

Imperceptibilis est nobis præstantia & nobilitas animæ cuiuslibet hominis adeò vt CHRISTVS B. Baptistæ Veranæ, prout habetur in Chronico S. Francisci Tomo 2. lib. 7. cap. 14. hæc dixerit.

Quantum pretiosior est anima corpore, tu non potes intelligere, nec persona viuens, quia ego tantum cognosco nobilitatem animæ & vilitatem corporis ac miseriam; quia ego solus feci vtrumque, & consequenter non potes tu, nec alia creatura vlla, pæne esse capax pænarũ mearum crudelissimarum. Et quia in modo peccandi est grauior vnus, quàm alter, & vnum peccatum, quam aliud; hinc est causata qualitas & quantitas pænæ. Sed pæna quæ me crudelius cruciabat, erat, quod viderem membra

mea,

mea, id eſt damnatas animas, nunquam, nunquam, nunquam debere reuniri mihi capiti eorum. Et hoc nunquam eſt illud, quod cruciat in æternum, & cruciabit illas infelices animas, ſuper alias pænas, quas habent, & habebunt in æternum. Adeo me afflixit hæc pæna nunquam, vt de nouo promptè elegiſſem pati, & denuò paterer has omnes diſiunctiones, omnibus his modis, qui fuerunt, ſunt & erunt, non tantum ſemel, ſed multis & infinitis vicibus, dum modo non tantum omnes, ſed vnam animam ſolam vidiſſem debere reuniri, integritati aliorum membrorum meorum vitalium, aut electis, qui viuent in æternum ſpiritu vitæ, procedente à me vita vitali. Hîc nota, quàm mihi cara fuerit vna anima, quia pro vna anima voluiſſem pati tot replicatas pœnas, quas tibi dixi ad reuniendam mihi. Et ita ſcias, adeò affligere illas animas, pænam huius nunquam, quod & illæ vellent mille, & infinitas pænas pati, dummodò ſperarent aliquo tempore reuniri mihi vero capiti ſuo. Et ita iuxta qualitatem & quantitatem pænæ, quam mihi dederunt, ſeparando ſe à me, ex mea iuſtitia vera, illis correſpondet qualitas, & quantitas pænæ. Et quia me afflixit ſuper omnia illud nunquam ita volo, vt iſtud nunquã eos cruciet ſuper omnes pænas quas habent & habebunt in æternùm. Et hic cogita quantam mentalem pænam, pro omnibus animabus damnatis in corde meo vſque ad mortem ſenſerim, videndo illas ſeparari à me, & poſtea in igne æ-

 terno.

terno vri. Atque vt per contrarium res magis elucescat, accipe illud documentum de pretio animæ ad cælum destinatæ, ex Reuel. S. Brigittæ lib. 6. cap. 31. Vbi cum Christus quæreret ex Diabolo, quid vellet dare pro quadā anima, quam viderat in cælum ascendere? sic respondit: omnes animas quæ sunt in inferno ab Adam, vsq; ad horam hanc, libenter darem pro ea: & adhuc tàm amaram pœnam pati vellem, tanquam si cuspides gladiorum innumerabilium infigerentur in vna columna, cuspis iuxta cuspidem tàm densissimè, vt non esset distantia vnius acus inter cuspides, & ego libenter inter hæc transirem à summo cælo vsque ad infernum, vt illa stella, (id est anima) daretur in potestate mea. Inde colligere licet, quanti meriti sit animam alicuius DEO lucrari, quanti demeriti, scandalizare, optare vt in inferno ardeat, &c.

QVÆRES XIV.

Qui sunt actus charitatis proximi.

R*Esp. primò.* Sicut homo qui seipsum ordinate diligit, inprimis sibi vult bona animæ, ita per charitatem debet velle omnibus gratiam DEI, bona spiritualia, felicitatem æternam. 2. Velle bona temporalia, quatenus ad æternum bonum conferunt. 3. Lætari de profectu spirituali & felicitate temporali proximi: dolere de malis, ac cupere remedium adferre. 4. Proximum (etiam inimicum) magni facere, omniaque facta illius in meliorem partem interpretari. Si

tenta-

tentatio non poteſt vinci, corrigere ſiue per ſe, ſiue per alios. 5. Neminem obloqui, neminem temerè iudicare; ſed defectus proximi ſaluâ conſcientiâ excuſare. 6. Omnes iuuare verbo, obſequijs, bonis operibus, & paratum eſſe vitam corporis pro ſalute animæ alterius, ſi neceſſe fuerit, iuuante DEO profundere.

Huc ſpectat miſericordiæ virtus quâ dolemus & triſtamur de miſeria proximi tàm animæ quàm corporis, cum propoſito ſubueniendi. Opera miſericordiæ tàm corporalia, quàm ſpiritualia ſunt paſſim omnibus nota, vtinam & in exercitio.

Dices? Si proximo ſemper charitatis actus exhiberentur, creſceret inſolentia ſine modo. *Reſp.* Etiam in hoc paſſu per charitatem eſt procedendum, videlicet affectu maternali, ſicut enim Mater, licet aliquando filium ſuum obiurget, vel caſtiget; non tamen erga illum deponit affectum maternalem; ſic & ſuperioribus contra inferiores cum delinquunt eſt agendum. Iniuriæ ab alijs irrogatæ vel patienter ferendæ, vel per amicos ſatisfactio requirenda, vel iure ſine odio, ſed zelo iuſtitiæ vindicandæ.

Porro in puniendo leges clementiæ debent obſeruari, vti ſunt, 1. minas remittere. 2. defectus non mirum exaggere. 3. Pænas minuere, ſeueritate tamen vti in procaces, & commune bonum lædentes. 4. In pænis infligendis famam proximi in quantum fieri poteſt ſeruare.

Petes, quomodo noster affectus contra proximum nobis inimicum, vel ingratum, est corrigendus?

Respondet ad hanc difficultatem Ioannes à IESV MARIA, de instructione Nouitiorum cap. 1. in hæc verba. Si DEI amor, à quo amor proximi genus ducit, cordi semel hæserit, esto proximus sit deformis, insolens, iracundus, importunus, rudis & alijs vitiorum labibus notatus, quæ odium parere solent, nunquam DEI amatori ad proximi dilectionem ratio efficacissima deerit: DEI quippè bonitas, pulchritudo, mansuetudo, sapientia, & virtutes vniuersæ, quibus proximus fortasse caret, luculentissimè splendet, & propter illas proximus diligendus est. Quis enim vnquam amauit? qui ob decorem, quo trahitur, labores, tædia & iniucunda multa non tulerit? Sed licet proximus non amabilis appetitui modo displiceat, rationi placere potest: est quippè (præter rationem illam à DEI decore virtutibusq; petitam) DEI FILIVS, est æternæ beatitudinis capax, & IESV CHRISTI sanguine redemptus, est mihi ad exercitium & meritum vtilis, est fortasse is, à quo ex prædestinatione æterna salus meo dependeat? Quibus certè rationibus duriora quæq; corda succumberent.

Vt enim vna reliquarum energia se prodat, quis adeo sit insanus, vt proximum, quem ad regnum sempiternum prædestinatum existimat odisse, aut lædere, aut certè non amare possit?

possit? An corpus illud quod cælos supergressurum, & ineffabili pulchritudine, ac luce in æternum decorandum est, mihi hoc speranti non placeat? Quomodo non ei arrideo, & sempiternæ pacis, cum Rege illo fœdus inire festino?

At verò quamuis ratio nulla subesset, auctoritas tamen Domini nostri IESV CHRISTI aientis: *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, inquit, id est. Quemadmodum ego DEVS, sapiens, magnus, decorus, vos homines stultos, prauos, deformes, per dolores, infamiam, & mortem amaui, sic mutuo & vos. Hoc est FILII DEI testamentum, cuius exortes, hæreditatis expertes futuros esse planissimum est.

Si ergò volueris esse inimicus inimico tuo, per hoc constitues te inimicum DEO, nam tũc voluntas tua opponet se voluntati DEI, & sicut præferre DEI voluntatem rebus omnibus est essentiale punctum amoris Diuini; ita illam postponere in aliquo casu, erit contemptus eiusdem.

QVÆRES XV.

Quæ est breuis & facilis praxis amandi Deum pro idiotis.

RESP. Esse Symbolum Apostolicum cum Oratione Dominicâ: Et inprimis si hæc verba; *Credo in* DEVM: in eo sensu quem Cathechismus Rom: & expositio Theologorum conti-

continet; aliquis ſincero corde proferet; non tã-tùm fidei, ſpei; verùm etiam feruentis charitatis actus eliciet. Nam hæc vocula (in) ſignificat tendentiam quaſi ad ſummum bonum. Hinc diſtinguit D. Auguſt. hos modos loquendi: *Credere* DEO, *credere* DEVM, & *credere in* DEVM. Credere DEO, eſt credere vera eſſe quæ loquitur: credere DEVM, eſt credere, quia eſt, quod etiam dæmonibus conuenit: credere in DEVM, eſt in DEVM pio quodam affectu ferri & tendere, quod dæmonibus nullâ ratione quadrat, qui credunt ſolâ euidentiâ conuicti. Conuenit tamen etiam id peccatoribus qui piâ quâdam affectione mouentur cum fiducia obtinendæ miſericordiæ imperfectè quidem ijs conuenit, perfectè autem iuſtis, qui actu fidei per dilectionem operantis in DEVM feruntur, cum perfectâ in eum confidentia.

Vel etiam ſi dicatur illo ſenſu, qui ex ritu baptizandi apertè colligitur; nam præmiſſis abrenuntiationibus diabolo; & peccato, cum dicitur: Credo in DEVM, hic ſenſus genuinus habetur: ſpretis pompis ac operibus diaboli, poſthabita naturæ meæ per peccatum originale vitiatæ corruptione, totum me per gratiam CHRISTI ad DEVM vnum & trinum confero, ipſi me in fidele eius obſequium, & obſeruantiam ipſius mandatorum trado & deuoueo: aduertens inſuper excellentiſſimam Patris cœleſtis potentiam, quæ in cæli & terræ creatione manifeſta elucet; & IESV FILII DEI; erga me amorem,

morem, quo ipse pro salute meâ ac totius mundi ex MARIA Virgine natus, crucifixus, &c. qui sedens ad dexteram Patris me cum gloria exspectat æterna, meque ad illam hîc multis modis inuitat: credens quoque Spiritûs Sancti eximiam super me bonitatem, qui mihi sanctificationem animæ, & gratias suas cœlestes offert ad vitam æternam possidendam: credens inquam omnia hæc; me ipsi cunctis postpositis ac me ipso contempto pro fideli famulo, aut potiùs mancipio subijcio, nec iam ampliùs mihi, sed illi; non secundùm me, sed secundùm ipsum viuere decerno & hæc in actionibus meis particularibus exsequi conabor.

Et quia viuâ fide credo impendere mihi diem iudicij, in quo & de verbo otioso rationem redditurus sum, & in hoc meo corpore resurrecturus, ac in cœlestibus delicijs cum DEO habitaturus; hîc in magno timore DEI, & sollicita mei custodia persistam, ne Dominum DEVM aliquando meâ inobedientiâ offendam; sed vt datam mihi in baptismo fidem, in obseruatione mandatorum eiusdem ad mortem vsq; fideliter obseruem.

Idem poterit efficere in ipso Oratio Dominica; vt illam recitans saltèm ad instar Filij prodigi suam gratitudinem cum animi contritione & submissione; & amorem filialem protestetur, quod se hucusque in peccatis suis tolerauerit, ad infernum non detruserit, ipsi suum paternum amorem per Filium suum IESVM offerat: inde-

que ex

que ex animo cupiat ipsi omnem honorem, reuerentiam, laudem à te, & ab omnibus quam maximam exhiberi; ipsius Regiæ potestati se funditus subijciat, vt hîc in regno ipsius gratiæ; post quantocyus gloriæ persistat: eius Diuinā voluntatem, suâ prorsus derelictâ in omnibus tàm asperis quàm prosperis perfectè perficiat, eique se totaliter resignet, & alius ad præfata pro viribus adducat.

In eâdem Oratione Dominica excitabit in se actus amoris erga proximos; quando sibi & illis optabit, & à DEO desiderabit necessaria animœ & corporis, remissionem peccatorum, robur contra tentationes, omnis mali amotionem: & per occasionem opera misericordiæ corporalia & spiritualia ipsis exhibebit.

Quæ omnia supradicta exemplo, spiritu, & ope CHRISTI Domini Saluatoris sui perficere conabitur; cuius tota vita in ardentissimo amore DEI, & hominum salute; in multis actionibus & cruciatibus ac orationibus propter nostram etiam informationem transfigebatur: siquidem ille ardentissimè & efficacissimè desiderabat & procurabat (qua HOMO DEVS, & mediator noster) per multas fatigationes, labores, molestias & crucem, gloriam Patris sui cœlestis; & bonum nostrum: vtque nos suo spiritu imbueret, istam formulam huius Orationis propter nos composuit; vt nihil aliud per totam vitam nostram magis desideremus & procuremus, quam honorem DEI &

proximorum salutem spiritualem & corporalem (ex amore DEI) quisque iuxta suam vocationem, & talenta à DEO accepta, spirituales spiritualibus, rustici laboribus, diuites eleemosynis, &. Talem dispositionem animi in rusticis & alijs Mechanicis CHRISTVS Dominus in lib. 2. Reuel. S. Brigittæ Cap. 20. reliquit his verbis: Tertius, (id est rusticus) habebit tàm firmam fidem quod dicet sic; tàm firmiter credo, quòd quasi videam quæ credo; spero etiam omnia quæ promiserat DEVS. Voluntatem habebit faciendi bona, & proficiendi in bono, & ommittere mala. Erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum.

Quia verò humilitas (præsuppositâ fide) est fundamentum vitæ Christianæ; etiam huius virtutis actus omnes, etiam rudissimos CHRISTVS docuit per illa verba. *Deus propitius esto mihi indigno peccatori.* Vt suam vilitatem ac defectus agnoscens, sese DEO subter omnem creaturam subijciat, nullumque etiam vilissimum despiciat, &c.

Hæc Orac uncula, vel etiam particulæ Orationis Dominicæ, si sæpius per diem vsurpentur (possunt autem facilè à quibuscunq;) breuî ad magnam perfectionem sincerò corde orantes promouebunt.

Sed valdè dolendum est, quod contrarium in quibusdam eueniat, nam hæc Sancta Oratio, licet tam breuis, attamen à paucis DEI cultoribus,

ribus, sæpiùs in parco vsu habetur, & dum recitatur, tunc properanter sine vllo gustu, sine deuotione, sola consuetudine quasi animali, quodsi deuotè dicitur, tunc aliquando infideliter, cùm vita illam recitantium cum eadem non cōcordet. Quæ enim hæc est fidelitas modò omne bonum DEO optare, & orare, vt nomen eius sanctificetur; regnum eius dilatetur, voluntas eius fiat, proximo benè prosperetur, tentationes vincantur, &c. interim postposito DEI timore & amore, peierare, superstitiones sectari, festa violare, decimas quæ pro honore DEI ampliando debentur denegare, Ecclesiastica bona opprimere, proximo in fama, rebus, &c. nocere, subditos affligere, tentationibus se vltrò exponere, &c. Hæc á Confessarijs breuiter per opportunitatem; à Parochis & prædicatoribus latiùs inculcari poterunt.

PRAXIS

Interna in compendium redacta amoris Diuini.

OMnipotens, venerande Pater, metuende, colende
Vnde mihi omne bonum, quo nullus amicior vnquam
Esse mihi poterit pietas, virtusque suprema.
Cum meritis Christi tibi me totum offero supplex,
Cum MARIæ meritis, electorumque tuorum,
Me tibi submitto, cupiens tibi viuere soli,
Omnia amore tui, quamuis gratissima sperno,
Me quoque despicio totaliter atque relinquo,
Præ reliquisq; tibi pio & integro adhæreo corde.
Complaceo nimirum quod sis DEVS Optimus ex te,
Quod sine principio, quod sis sine fine beatus,

Supre-

Supremus rerum Dominus, ſolusque Creator.
Plùs mihi te facio, quàm me, quam cuncta creata,
Te mihi nil meliùs, nec erit præſtantius vnquam.
Solus es excellens, totus laudabilis in te.
Optima quæ tibi vis toto deſidero corde,
Quæ tibi ſunt placita, hæc cupio facere, & tolerare,
Obque tui offenſas ſummo tabeſco dolore.
Non mea, ſed tua laus; ſit honor tuus, atq; voluntas,
Atque ſecundum illam quæcunq; peregero fiant,
Quæ pro te faciunt magno complector amore.
O vtinam omnes te noſcant, venerentur, adorent!
Te recolant, cunctis adament te viribus omnes,
Semper vbiq; tuis perfectè legibus inſtent.
Aſperitas mihi ſit, mors, ſit, contemptus, egeſtas;
Tu mihi diuitiæ ſis, gloria, deliciæque,
Sim tuus æternùm, mihi finis tu vltimus eſto.
Ne me proijcias à te; ſicut mea facta requirunt.
Sed bonitate tua ſerua, tege me, atque guberna,
Vt tecùm citius valeam ſine fine manere.
Suppetias affer, fraudes expunge malignas,
Vt vitijs moriar, magnâ at virtute decorus,
Conſtans ſincero tibi ſemper iungar amore.
Spes mea tota in te eſt, cordis fiducia tota,
Es ſublimè potens, ſapiens, miſeransq; bonusq;
Plùs quoque amas me, quàm omnes, vel quàm ego
diligo me ipſum.
Sis Deus ipſe Deus, felix ſuper omnia regnans,
A cunctis ſemper quàm maximo honore colendus,
Infinito es enim, ac ſupremo dignus honore.

---

§. 5.

De inſtrumentis profectûs Chriſtiani.

QVÆRES I.

Quæ ſunt inſtrumenta profectûs Chriſtiani?

RESP. Inſtrumenta quibus Chriſtianus benè

 vten-

vtendo possit in dies magis ac magis declinare à malo, & facere bonum in honorem ac placitum DEI, alia sunt remota, alia proxima. Remota quidem sunt res creatæ, quibus ita moderatè ad virtutes exercendas est vtendum, vt medicinâ ad sanitatem, quando autem animæ officiunt, omninò abijciendæ, de quo iam supra. 2. Sunt vires animæ & corporis, per mortificationem legibus Diuinis subiectæ.

Proxima autem sunt hæc sequentia. Primum est, & potissimum. Gratia DEI de qua Saluator ipse. *Sine me nihil potestis facere.* Illam paratus est DEVS præstare ritè petentibus se, & inspirationes suas & motiones obseruantibus, & quod in se est facientibus, Vnde licet homo ex se non possit abstinere omninò à peccatis, imputantur tamen illi ad reatum, quia (vt D. Thomas 1. 2. q. 109. art, 8.) ex suo defectu non præparatur ad gratiam per quam natura corrupta & ad malum semper procliuis, ita roboratur ac perficitur, vt possit non solùm vitare peccata, sed etiam per viam virtutum ad suæ perfectionis culmen peruenire. Secundum est cognitio sui cum cognitione DEI (de qua etiam supra) quæ in omni actione, tentatione, in prosperis, in aduersis, debet adhiberi: de qua ille versiculus: *Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris.*

Cognitio DEI, res CHRISTIANO more consideranti ipsa se ingerit, vt docet Psaltes: *Cæli enarrant gloriam DEI, &c.* & D. August,

gust. lib. 11. Confess. Cap. 14. Ecce Domine cæli & terra clamant, quod facta sunt. Et alibi clamant, vt amem te. Dicitur hic animo Christiano, aliter enim *v. g.* cælum considerat, nauta, agricola, Philosophus, &c. aliter Christianus, quem omnia possunt ad timorem & amorem DEI excitare, & promouere. Et in hoc genere cognitionis excelluit D. Antonius asserens ipse, libros suos esse creaturas DEI, & plures sancti.

Sacra quoque Scriptura, modò rectâ mente capiatur, DEVM & CHRISTVM eius nobis insinuat, illius virtutes eiusque beneficia nostris animis personat. Tertium instrumentum est, exercitium matutinum, in quo post gratiarum actionem te offeras, & omnes tuas actiones & afflictiones CHRISTO, & penès eius merita Patri cœlesti in laudem eius æternam, in adimpletionem eius Diuinæ voluntatis, in vnionem sempiternam, &c. res agendas dispone, aliquod vitium tibi familiare ad eradicandum, & virtutem acquirendam tibi assume, &c. Quartum est diligentia in agendo, vt bonum opus peragas tanta ac tali intentione, & attentione, & virium contentione, ac si illud iam vltimum foret, vltima Oratio, vltima Confessio, Missæ Sacrificium, &c. quo expedito anima tua ex corpore migratura esset iudicanda, &c. Quintum melioris boni electio, dæmon enim si te non poterit à bono auocare, saltèm minùs persuadebit; vnde præter opera debita, etiam ope-

ra supererogationis commendantur. Sextum, recollectio animi, vt te supra te reflectas, quo animo, affectu, diligentiâ res peragas. Septimum est memoria præsentiæ Diuinæ crebrò refricata, cum pio ad eum affectu : cùm enim DEVS magis sit præsens animæ nostræ, quàm ipsa corpori; equum est vt ipsa quoque ad ipsum se sæpiùs referat. Potest autem id facilè, absque capitis fatigatione præstari, cum *v.g.* aliquis se ad DEVM habebit, modò vt reus ad Iudicem clementissimum, vt Filius prodigus ad Patrem benignissimum, modò vt mendicus ad Benefactorem, vel cliens ad Monarcham aliquem, amicitiam suam sibi offerentem, cùm & DEVS PATER offerat sibi suum paternum amorem, vnâ cum Filio suo, vt illum amando, ametur & ipse à Patre cœlesti : vel si officia sibi iniuncta propter DEVM, & coram DEO, vt seruus coram Domino, miles coram Duce, discipulus coram Magistro, (licet de illo assiduè non cogitent) exactè persoluere studeat, iuxta illud Psal. *Prouidebam Dominum in conspectu meo, &c. Oculi mei semper ad Dominum, &c. Ecce sicut oculi seruorum, &c.* Potest etiam & quidem magis proficuè sæpiùs in mentem excitari præsentia CHRISTI in quantum homo est ; modò orantis, modò laborantis, turbas docentis, pascentis, modò nos ad persecutionem vitiorum, vel ad aliquam suam virtutem in speciali, suo exemplo, suis verbis inuitantis : vt sic in CHRISTO manentes, nostra per ipsum gratiora Patri

cælesti offeramus. Nec solùm hæc præsentia DEI hic circumscribenda, sed ad proximos extendenda est, vt singulos ad imaginem DEI creatos, CHRISTI Domini sanguine redemptos, cùm ipso æternùm regnaturos aspiciamus, & si peccatores sint DEVM ipsos ad pænitentiam vocantem, conseruantem, &c. Ex quo & amor proximi, & reuerentia, & pax, & alia plurima bona possunt oriri. Octauum. Recordatio quatuor nouissimorum, præcipuè aduertendo, an ex hoc tuo actu, sis habiturus in hora mortis consolationem. Nonum. Diffidentia sui: scriptum est enim. *Qui stat, videat nè cadat, Beatus, qui semper pauidus:* præsumptio enim de suis viribus, aut meritis; semper est periculosa, & peccaminosa; cùm omnis sufficientia nostra sit à DEO, & ab istiusmodi falso sapientibus, DEVS suas gratias etiam insenectute aufert, de quò, clariùs in Reuel. S. Brigittæ lib. 5. inter 13. Decimum. Oratio. Vndecimum. Mortificatio.

Sunt & alia exteriora instrumenta professûs Christiani, vt potè bona societas, pia colloquia, probata exempla, vitæ Sanctorum, amor silentij, solitudinis, auditio verbi DEI, pia lectio, boni consiliarij, monitores, custodes, Magistri, Gubernatores: Item rectus vsus Sacramentorum, pænitentiæ, Eucharistiæ. Item renouatio animi per hebdomadam, mensem, annum, exercitia spiritualia. Tandem vita Regularis: cùm enim in hoc statu Religiosi, non tantum proxima, sed etiam remota impedimē-

ta perfectionis à se remouerint, cùm sua omnia quæ habebant, vel habere poterant; imò corpus suum & animam DEO per vota solemnia, paupertatis, castitatis, obedientiæ consecrauerint, peculiaribus statutis se ad eadem vota perfectiùs, iuxta cuiusque statum seruando obstrinxerint; maioribus etiam auxilijs à DEO muniuntur, & adiuuantur, vt non tantùm communi modo, verùm etiam sublimiori pulchritudinem, sapientiam maiestatem, iustitiam, &c. concipiant, hinc interiore vigilantiâ conscientiam suam custodiant, ne quid mali in oculis tanti legislatoris committant. Affectus ardentiores amoris, reuerentiæ, zeli, honoris Diuini, &c. in se excitent; summâ cum deuotione in suis Orationibus, Meditationibus, cum DEO agant, ipsi in auditione Missæ, cum intensiore animi eleuatione assistant, &c. Item, actus charitatis erga proximum, cum propensiore studio faciant omnem consolationem, subsidium ex animo afferre desiderent, denique tutiùs & perfectiùs mandata DEI obseruantes, faciliùs vitam æternam consequentur.

QVÆRES II.

Quæ instrumenta ex supra dictis debeant esse omnibus in frequentiore vsu?

RESP. Mortificatio, & Oratio: nam per mortificationem charitas vitia expellit; per orationem autem virtutes congregat & sicut auis

duabus

duabus alis sursùm se eleuat ; ita nostra pietas Christiana hisce duobus instrumentis ad DEVM & cælum euehitur. Vtrumque hoc instrumentum omnibus omninò est necessarium. Miserrimus ille est qui multos psalmos, multa rosaria, coronas, aliasque preces (Ioannes à MARIA Discal. de vita spirituali) profundit, & interim amore proprio, iudicijs temerarijs, tumore animi, iracundiâ alijsque vitijs laborat, Saluator enim ait: *Non omnis qui dicit Domine, Domine, &c.* Nec ille beatus, qui corpus suum ieiunijs, laboribus, alijsque molestijs affligit, affectus insuper suos reprimit, & interim negligit Orationem; siquidem iuxta decretum Saluatoris : *Oportet semper orare & non deficere.* Nam sine inuocatione Diuini auxilij, nihil potest esse stabile & solidum. Vnde D. August. de Eccl. dogmatibus Cap. 16. nullum credimus ad salutem, nisi DEO inuitante venire, nullum inuitatum salutem suam, nisi DEO auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium inuenire.

QVÆRES III.

Quid est quotuplex sit mortificatio?

RESpondeo cum Magistris spiritualibus. Mortificatio est spontanea ob DEI amorem, & studium virtutis; inordinationis repressio seu cohibitio.

Est autem duplex: alia animæ, alia corporis: nam per virtutem humilitatis in anima,

mortificatur proprium iudicium, propria voluntas, amor proprius : in corpore autem mortificatur concupiscentia cum suis passionibus, per Sacram disciplinam, cohitionem, & repressionem, de quâ re suprà §. q. 6. & 7. &c. Hîc autem duo superaddo; primum non debere aliquem turbari multum dum agitatur concupiscentijs, sed debere esse sollicitum ne consentiat ; aliud enim est sentire tentationes, aliud consentire ; qui illas abominatur, animo si non potest aliter refugit ; inuitus patitur ob amorem DEI; ille meretur : nam scriptum est : *Beatus vir qui suffert tentationem, &c.* qui autem illas vult, illas approbat, ipsis oblectatur, hic deliquit ; peccatum enim cum per consensum consummatum fuerit, generat mortem. Secundum est : illum qui post confessionem ex aliqua passione quam negligit in se vincere, in peccatum mortale cadit, in eoque ad aliam confessionem insordescit ; nunquam facturum aliquem profectum in vita Christiana, qui sit cum merito gloriæ cælestis; imò magno se periculo salutis exponere : nam ex defectu mortificationis, CHRISTVS docet paucos esse electos. Quapropter istiusmodi dum aliquo casu labitur ex passione, conferat se ad humilitatem, contritionem, orationem, & præuideat occasiones labendi, ac se contra ipsas muniat, contendatque per angustam viam intrare ad beatitudinem, nec tam magni illas faciat, vt cum ipsis indomitis malit in inferno ardere, quam cum edomitis gaudere

in cæ-

in cælo. Proinde nulla dies sibi transeat sine linea alicuius mortificationis, multa enim sunt in anima & corpore quæ Diuinæ voluntati contrariantur, omninò coërcenda; vel saltem non permittenda. Porro hic in illicitis non peccabit, qui se & à licitis aliquando cautè restringet.

QVÆRES IV.

Quid & quotuplex sit Oratio?

RESP. Oratio secundum D. Thomam 22. q. 13. art. 13. est ascensus intellectus, seu eleuatio mentis in DEVM; sub qua continetur reuerentia DEI, postulatio, obsecratio, gratiarum actio, oblatio, petitio, de quibus Apostolus ad Philip. 4. Oratio est duplex, alia Mentalis, quæ solo intellectu & voluntate perficitur, cuius finis est, morum reformatio, & vnio cum DEO. Alia vocalis quæ mente & voce peragitur, habetque pro principali interno laudem DEI & supplicationem præsertim publicam.

Mentalis trifariam diuiditur; in piam cogitationem, meditationem, & contemplationem. Pia cogitatio, est mentis in DEVM, cum humili & deuoto affectu conuersio (D. August. lib. de spiritu & anima) quod commode fieri potest ex aliqua cognitione creaturæ S. Scripturæ, siue ex dictis, vel factis Sanctorum, aut ex alijs obiuis occasionibus. Varij autem affectus pias cogitationes solent comitari; præcipuè gra-

tiarum, actio, confusio, sui oblatio, petitio, quos consequuntur orationes eiaculatoriæ; *v. g.* Aspicit quis lumen solis, lunæ, stellarum, poterit statim cogitare illud D. August. Confess. Cap. 14. Tu Domine fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim: quia bonus es, bona sunt enim: quia es, sunt enim: sed nec ita pulchra, nec bona sunt, nec sunt; sicut tu conditor eorum: gratias Deo agit pro tam splendidis creaturis in sui commodum factis, se confundit coram Deo ob tenebras suarum actionum; offert se ad opera lucis præstanda, & gratiam à Deo rogat. Audit quis de peccato alterius, exclamat illud cuiusdam Eremitæ: væ mihi, peccatori, quia sicut ille nolens victus est, ita ego hodie vel cras: Devs in nomine tuo saluum me fac: videt quis amentem, cæcum seruilis conditionis, claudum, &c. cogitat, cur non ego sed hic? Ergo te Devs meus diligam totis viribus meis, & his propter te misericordiam præstabo, &c. Eiusmodi cogitationes summo cum profectu spiritûs à bonis Christianis vsurpantur; siquidem per eas Deo magis magisque (sine vllo dispendio laborum suorum) appropinquant. Plures praxes illarum Pater Andreas Capella Carth. in suo manu li exer. B. Franciscus Borgia, in Tract. de operibus Christianis, in Collyt. Spir. Drexellus de Intentione conscripsere.

QVÆ-

QVÆRES V.

Quid sit Meditatio?

R*Esp.* Meditatio est attenta cogitatio rei alicuius piæ, ordinata ad excitandos in voluntate pios & stabiles affectus. Seu est vehemens quædam animi applicatio ad res cum intimo cordis sensu commentandas, per quam exclusâ varietate & distractione cogitationum homo in animo suo studet penitus sentire, quid singula, quæ meditatur sint, quantamque illi necessitatem imponant bene viuendi. Itaque differt à lectione, & ordinaria mentis cogitatione, quia ista cum leuior sit, per multa vagetur; illa attétior, non ita varia. Meditari scriptionem vel metricam, vel solutam, est scribere, non quod primò occurrit menti; sed quod post attentam & diuturnam mentis agitationem: meditari lectionem ex Tullio, vel Virgilio, est illam non obiter percurrere, sed legere, relegere, artificium eius, figuras, periodos, &c. notare. Ita meditari Diuina, est aliquid pium mente voluere, cogitare, recogitare, nunc vno, iam alio modo, quasi videres illud oculis, &c. Differt à speculatione rei piæ, vt cum quis ad scribendã Orationem *v. g.* de Natiuitate CHRISTI, attentè de illa cogitat, quod ista ordinata sit ad scientiam; illa ad mouendos affectus; ad stabile odium peccatorum, ad virtutes CHRISTI Sanctorumque sectandas, ad fugamque huius vel illius vitij, cui præcipuè est homo deditus, &c.

In me-

In meditatione mea exardescet ignis (inquit Propheta) hoc est feruor animique promptitudo excitabitur, vt fugiam noxia, & amplectar vtilia; Imò hæc affectuum stabilis suscitatio finis & fructus præcipuus est meditationis, præcipuaque in excitandis his affectibus cura est ponenda; nec ante illos excitatos facilè ab vno puncto ad aliud est transeundum. Quapropter duobus alijs nititur meditatio, intellectûs & voluntatis operatione. Intellectus enim res, quæ sumuntur meditandæ, expendit, obseruat, cognoscit, inter se confert, ac simul atque satis eas vidit, & excussit voluntati proponit, eas vt optet & amet, earumque visione excitetur & inflammetur in DEVM. Quocirca orationis mentalis finis non est mente discurrere, concepτus pulchros eruere, res bene capere & cognoscere (quæ operationes sunt intellectûs) sed affici ijs cognitis, eas amare velle desiderare, quæ voluntatis operationes sunt.

QVÆRES VI.

Quot sunt partes Meditationis?

R*Esp.* Esse tres: prima est præparatio siue recollectio sui ad DEVM: secunda ruminatio punctorum: tertia colloquium. Præparatio alia est remota quæ in remotione impedimentorum, & assumptione necessariorum ad dona DEI in meditatione percipienda consistit: alia proxima quæ debitam ante DEVM consistentiam suggerit. Primò enim necesse est,

est, vt post præparatam Meditationis materiam (cuius puncta vel in memoria vel in libro habebis) imaginatiuam & intellectiuam, potentiam ab omnibus curis & creaturis abstrahas, eamque ad propositum negotium serio applices, cum præsentatione loci, personarum, aliarumque circumstantiarum, quæ ad eam materiam pertinent: deinde vt te DEO supplex sistas, orans vt tuum intellectum suis Diuinis veritatibus illustret, & voluntatem pijs affectionibus inflammet, vires ad vitia eradicanda, virtutes inferendas, profectum in amore sui subministret. Facies autem id adinstar illius, qui frigore afflictus in appricum, vel ad ignem se exponit, vt calefiat, & vires refractas ad operandum resumat; vel adinstar discipuli suum Magistrum pro instructione adeuntis; vel adinstar famelici ad cænam inuitati; vel mendici, qui è suo paupere ergastulo egressus, sistit se benefactori suo, de cuius bonitate & liberalitate bene est persuasus, eius beneficentiam supplex demissâ mente expostulat, ipsius verba consolatoria, & subuentiones pias gratus excipit, gratias agit, ad maiorem obseruantiam ipsius se obstringit: scriptum quippe est; *Accedite ad eum, & illuminamini.*

De tali præparatione nos admonet Eccl. 5. *Ne temere quid loquaris neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram DEO, DEVS enim in cælo, & tu super terram.* Et Ecclesiastici 18. *Ante orationem præpara animam tuam.*

tuam, &c. id nos ſuo exemplo docuit Abraham Gen. 18. dum ait : *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis.* In quibus verbis tria ſunt penſanda. Primò quia eſt puluis & cinis, & forte reus damnationis æternæ. Secundò quia vt eum conſideres, quem eſt allocuturus, quia eſt Dominus DEVS tuus, &c. Tertiò. Vt quæ dicenda ſunt mediteris : hinc illa Pſalmiſtæ verba vſurpa : *Audiam quid loquatur in me DEVS; Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas, & ſcrutabor legem tuam. Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me ; aut dicto Pſalmo de profundis : ſubiunge orationem. Veni ſancte, vel Actiones noſtras.*

Secunda Pars Meditationis eſt Punctorum trutinatio, quæ vt melius perſpicias conſiderabis illa, cum ſuis circumſtantijs, in hoc verſiculo contentis.

Quis, quid, vbi, quare, quis fructus, qualiter vnde.

Deinde ex illis punctis deuotos intra te pro ratione materiæ affectus concitabis illoſque per tempus præſens, præteritum, futurum, dilatabis, quorum præcipui in ſubiectis verſiculis tibi proponuntur.

Cogito, demiror, confirmo, me reprehendo.
Conqueror, ac metuens, execror ac doleo.
Spem ſumo, grates do, amo, & offero, & opto.
Propono, obſecro, feruidus aggredior.
Hoc ago, meq; malum reprimo, præſentia Christi
Vrget, ſuſpiro, collige me, renouo.

Exemp.

Exemp. G. Vis aliquem fructum ſpiritualem ex illis verbis Pſal. 5. decerpere. *Mane, aſtabo tibi & videbo, quia non DEVS volens iniquitatem tu es* : Cogita inprimis : quis, quid, vbi deteſtetur! & aduertes, quod DEVS ſupremus Dominus ac legislator non tantùm illa facta, dicta, verùm etiam minima cogitata, quæ recedunt à lege ipſius odio habeat peccatum neque in cælo, neque in paradiſo, neque in terra, etiam in ſibi amiciſſimis conſiſtere patitur, ſed ad profundum inferni infra omnes creaturas deturbat. Deinde expende quare? & cognoſces, quia peruerſitas, malitia, impuritas, turpitudo, quæ in peccato reperitur; opponit ſe præcellentiſſimæ ſanctitati, bonitati, puritati, & pulchritudini Diuinæ; quia contrariatur rectiſſimæ voluntati DEI, quia quandam rebellionem & contemptum DEI in ſe continet : tenetur enim creatura ſuo Creatori ſubeſſe, ſuis potentijs ipſi ſeruire, eius beneficijs non abuti, &c. Vnde ſicut tu illud mancipium, quod multis beneficijs affeciſti, dum tibi rebellat à te proijcis, multò æquius id DEVS tibi facere poteſt, &c. Qui fructus peccati? vtique peſſimi in ſublatione, tot bonorum; tot malorum illatione, & in hac, & in altera vita. Qualiter : vnde? pœnas minando horrendas, & æternaliter puniendo, ſiquidem per peccatum Dominus infinitæ Maieſtatis offenditur, & peccator qui in peccato moritur, in æternum obduratur. Et quamuis DEVS

posset omnia peccata in hominibus impedire, per acriores pænas statim inflictas, &c. nihilominùs quia hoc rectissimæ & suauissimæ DEI gubernationi repugnat, id non facit: nam hominis liberum arbitrium, quod in nullo vult lædere, deprimeretur, homines coàctè & seruiliter, non liberè, non amicabiliter DEO obedirent: DEVS autem nos vult habere amicos & non mancipia hîc, & in Patria cœlesti. Denique quia omne peccatum ex amore inordinato ipsius hominis procedit, cum peccando plùs amat se & suam voluntatem, aut concupiscentiam, quàm DEVM, nihil ferè vult propter eum relinquere, vel tolerare; ideo indignus est cui DEVS suam charitatem præstet.

His trutinatis excita in te affectus contra omne quod in te aduersatur DEO, & quidem mirare te tam temerarium & audacem fuisse in perpetrandis tot sceleribus, tam ingratum DEO tanto benefactori, in tanta pericula salutis incidisse. Fatere te coram DEO maximum peccatorem, & confundere, quod ipsum in eius Diuinis mandatis, & beneficijs toties vilipendisti; quia à te, & ab omni creatura dignissimus omni obseruantia, & cui tot titulis obstrictus es. Deinde tuam obliuionem & neglectum DEI, vecordiam, ingratitudinem, malitiam coram DEO reprehendas. Expostula tecum quòd ob res tam friuolas; tanta mala perpetrasti, tam diu in luto vitiorum hæsisti. Time horrenda iudicia DEI supra te, ni seriò resipiscas, &c. Tandem te ad

spem

ſpem miſericordiæ DEI eleua ; actum contritionis præcipuè ex eo motiuo, quòd DEVM à te ſummè æſtimandum & diligendum propter te poſtpoſuiſti, offendiſti, &c. Lauda DEI longanimitatem, quod te tam diu ad pænitentiam expectauit, cum alios propter minora peccata, & pauciora, quam ſint tua condemnauerit. Vnde ad maiorem amorem DEI, ad tui mortificationem, & ad fidele obſequium, ac promptiorem obſeruantiam illius Diuinæ voluntatis, quouſque vita ſuperſtes, te offeras. Opera ſatisfactoria aſſumas, &c. Atque ita ex hac meditatione hũc fructum referas, vt iugem præſentiam DEI in tuis actibus tibi memores, inde timorem DEI, odium & fugam ſeriam peccati, demum dignos fructus pænitentiæ facias. Simili modo in alijs materiis meditationum procedes, licet non cum omnibus circumſtantiis, aut affectibus, nec eodẽ modo vſurpandis.

Tertia pars meditationis eſt colloquium; quod iuxta materiam ſubiectam vel occurrentes affectus eſt cum DEO faciendum; vel propriis verbis, vel alicuius Pſalmi, aut orationis. Meditatio non ſolùm ipſius meditantis, verùm & aliorum mentes ditare abundè poteſt. Parochus enim ſiue alius concionator, per illa quæ bene mente ſua digerit, ad eaque bellè afficitur, multò magis (ex ſententia etiam Eccleſiaſticorum Rhetorum) populum excitabit ad bonum; quàm per hæc quæ ſimplici memoria concepta enuntiabit. Aduertimus ſermones prædicatorios

S. Antonii de Padua, S. Vincentii, &c. Simplici ſtylo conſcriptas; attamen in Vitis ipſorum legitur, plures ab ipſis ad DEVM fuiſſe conuerſos, certè non ob aliam cauſam, quàm quia ardentes Diuino amore ſermones ad ſuos Auditores depromebant. Clariùs hac de re Chriſtus lib. 4. Reuel. S. Brigittæ Cap. 7. in hæc verba : tales ſunt multi qui de virtutibus ſciunt diſputare, ſed non eas viuendo virtuosè ſeruare ; ideò & eorum animæ periclitantur, quia verba pluri-ma ſunt, & facta non apparent. Nunquid ſic fecerunt prædicatores mei ? nequaquam. Ipſi certè monebant peccatores non verbis ſublimibus, ſed paucis & charitatiuis parati dare animas ſuas pro animabus eorum, ideò propter charitatem eorum, alii obtinuerunt charitatem, nam ardor docentis plus, quam verba animum audientis informabant ; nunc autem plerique loquuntur de me ardua, ſed nullus ſequitur fructus, quia flatus ſolus non incendit ligna, niſi & igniculus ſcintillæ coöperetur.

QVÆRES VII.

Quotuplex ſit Oratio vocalis?

R*Eſp.* Eſſe duplicem : publicam videlicèt & priuatam : vtraque vt DEO placeat abſolui debet, eadem præparatione, attentione, deuotione, reuerentiâ, quâ mentalis, aliàs voluntariis mentis diſtractionibus infecta, potiùs erit DEI irriſio, quàm Oratio, vt docet S. Thomas 22. quæſt. 83. art. 13. ad 3. Vnde iſtiuſmodi Orationi

tioni quadrabit illud Pſal: 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Et illud 1. Reg. 2. *Qui glorificat me glorificabo eum, qui contemnunt me erunt ignobiles.* Nec enim minoris conditionis debet eſſe (& hoc apud viliſſimum hòmunionem reum fortè mortis æternæ, &c.) DEVS Opt. viro aliquo nobili, quem cum reuerentia, & honeſta corporis compoſitione alloquimur. Vnde in recitatione horarum Canonicarum, aut in auditione Miſſæ notabilis, ſeu per notabilem partem durans mentis diſtractio, ac deliberata, ſeu perfectè voluntaria; eſt peccatum mortale. (Breſſerus lib. 6. Cap. 15.) cum per talem actum non ſatisfit obligationi Eccleſiaſticæ. Et quamuis nõ deſint aliqui Theologi docentes per externam deuotionem ſatisfieri, nihilominùs excludi volunt omnes fabulas, aliaſque occupationes, cum verâ & interna deuotione incompatibiles.

Secundùm eorum doctrinam in aliis Orationibus, quæ ex bona voluntate fiunt voluntaria diſtractio, etiam eſt peccatum graue veniale. Probant ex illo Scripturæ Malach. 1. *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum eſt, &c. Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus; ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus.* Iſaiæ 29. *Populus iſte ore ſuo & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me.* Et D. Auguſt: in Pſal. 85. *Oratio tua locutio eſt ad DEVM, quando legis DEVS tibi loquitur, quando oras cum DEO loqueris.* Vnde apparet bene conſiſtere hæc duo, quòd nè qui-

 dem

dem venialiter preces omittendo, totam Orationem quæ non est ex præcepto (non dico hic de interruptione, necessaria quæ non est peccatum) pecces tu inter orandum te distrahendo; quicunque enim facit ac suscipit aliquod officium, munusue, etiamsi voluntariè, debet illo bene fungi, cum debitis circumstantiis.

Vt autem horæ Canonicæ sine tædio, & cum maiori merito absoluantur, debent per illas offerri Patri cœlesti mysteria Passionis CHRISTI in illis versiculis contenta.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat
Prima flagris cruciat, dat causam tertia mortis
Sexta cruci nectit, latus eius nona bipertit
Vespera deponit, tumulo completa reponit.

Item pii affectus excitari, attentio in principio Psalmorum renouari, &c. planè ita offerat Psalmos aut versus Psalmorum aliasue orationes DEO, sicut ille, qui amico numerat sigillatim nummos aureos. Hunc modum CHRISTVS S. Gertrudi insinuat.

QVÆRES VIII.

Quomodo rudibus deuotio in oratione commendanda?

R*Esp.* Vt orantes cogitent se alloqui illum, qui licet non videatur, attamen maximè & præcipuè est, qui regit cælum, terram, qui facit ver, æstatem, &c. qui ipsis dedit hos oculos, manus, cor, intellectum, qui ipsorum vitam, hic & nunc tanquam nutrix infantem sustentat, à

quo

quo omne bonum procedit, qui illos in gloria æterna expectat. In aduersis optimè de DEO præsumant, qui ipsos non pro hoc mundo, sed pro altera vita creauit, vbi nullus luctus, nullus dolor: & si patienter hic mala tolerauerint; ibi abundè remunerabuntur, quia sic necesse est, vt post hanc hyemem sequatur perpetua æstas.

QVÆRES IX.

Quod est efficacissimum instrumentum ad vitam Christiano more traducendam?

R*Esp.* Amor & imitatio Christi: CHRISTVS enim non tantùm est Redemptor vnius cuiusque nostrûm, sed etiam Magister, lux, via, exemplar sanctè & piè viuendi: & parum fuisset CHRISTO redimere nos, nisi etiam ipse vitæ suæ sanctissimæ exemplo nos docuisset, quomodo redemptioni nostræ cóóperari deberemus. *Debuit quidem homo ille* inquit S. Leo *etiam esse DEVS vt lapso homini afferret remedium: sed debuit etiam ipse DEVS Maiestatis esse homo, vt eidem præberet exemplum* ideoque vt supra in primo capite dictum est, nos ad sui imitationem in Sacro Euangelio admonet.

In tribus ergo præcipuè est nobis Christus imitandus. Primò in actibus tàm internis quàm externis. Vt *v.g.* in cogitationibus, desideriis, in sermonibus, in operationibus, vt spiritum eius modumque agendi imbibamus. Porro spiritum eius possumus haurire, primò ex Oratione

ipsius dicta Dominica, in qua vt supra ostensum est clarè ostendit, quales cogitationes, qualia desideria concipere debeamus, iisque ardere erga DEVM, & erga proximos nostros respectu DEI. Deinde ex Sacra Eucharistia in qua eundem CHRISTVM sumimus summo desiderio erga honorem Patris sui cœlestis flagrantem, & nostram salutem, hîc ille nobis imprimit illum spiritum suum, illas actiones, illa merita, quæ in corpore mortali exhibebat, nosque illa iuxta nostram dispositionem, plùs vel minùs participamus. Vnde & ille dixit: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo. Qui manducat me & ipse viuet propter me.*

Secundò. Nobis est imitandus in virtutibus, quæ in eius corde verbis & actibus tanquam in thesauro latebant, gemmæ pretiosæ, vt non tantùm desideria nostra eius desideriis, verba nostra eius verbis conformemus; sed etiam in illis verbis & actibus, virtutum heroicos actus distinctè intueamur, & quasi ad ditandam nostram paupertatem plenâ manu hauriamus. Vnde boni Christiani ex quolibet Euangelio cuiuslibet Dominicæ assumunt sibi aliquam virtutem CHRISTI ad imitandum, per illam sequentem hebdomadam, & in alia faciunt recollectionem qualiter se in illa exercuerint, ac pro negligentia eliciunt actum contritionis, defectus suos & ex præterito & præsenti Euangelio, præsertim quando absolutâ Prædicatione facit cū ipsis

Pastor

Paſtor ipſorum communem confeſſionem, faciuntq; firmiora propoſita in poſterum melius Chriſtum in ſua vita imitandi.

Tertiò. CHRISTVS eſt ſequendus in ſtatu vitæ; ita enim illam vitam ſuam mortalem attemperauerat, vt omnibus hominibus cuiuſque ſtatûs norma viuendi exiſteret. Nam propter laborioſos duxit vitam laborioſam, propter contemplatiuos contemplatiuam, propter diuites miſericordem, beneficam, &c. vt non tantùm per ſuos annos; ætates vitæ noſtræ; verum etiam per ſuas actiones, noſtras actiones; per ſuas afflictiones corporis & animi; noſtras ærumnas, per ſuos ſtatus, ſtatum cuiuſque noſtrûm conſecraret; nos denique & omnia noſtra ſuis meritis exornaret, ac gratioſos Patri ſuo cœleſti offerret.

Hinc ſequitur quod nos & omnia noſtra debeamus illius ſanctiſſimis meritis per pios & humiles affectus coniungere, ac cum eiuſdem meritis DEO Patri offerre, ipſum deniq; CHRISTVM ſæpiùs exorare (ſiquidem nihil meritorium ſine illo poſſumus agere) vt ipſe nos dirigat, adiuuet, ſuæ ſanctæ humanitati conformet, & in ſancta perſeuerantia ad vitam æternam deducat; breuiter dicendo, ita nobis agendum eſt, vt per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, ſeu in ipſius amore Patri eius cœleſti ſeruiamus, more primorum diſcipulorum CHRISTI, quibus ille dixit. *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Vnde Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. *Siue vigilemus, ſiue dormiamus, ſemper*

cum Christo viuamus. Et sæpiùs alibi admonet, vt Christum induamus, in Christo Domino nostro nos peragamus. Vita nostra sit abscōdita in Christo: imò ipse Christus hoc requirit à nobis Luc: 11. *Qui non est mecum contra me est.*

Hunc etiam modum præscribit nobis Ecclesia, in prima Horarum Canonicarum, vbi Patrem cælestem orat, vt nos, sua virtute saluet per Christum Dominum nostrum, vt ad nullum declinemus peccatum, &c. Deinde ipsi Christo supplicat vt ille dirigere & sanctificare & regere dignetur corda & corpora nostra, &c. Quæ duæ orationes dignæ sunt vt sæpiùs in die per crebra suspiria vsurpentur, etiam signo aliquo adhibito ad memoriam earum refricandam. Cum autem sufficientia nostra sit ex Christo, necessarium est, vt defectus nostri, infiniti valoris ipsius meritis, ad supplendum quàm humillimè offerantur, præcipuè in fine vitæ.

Atque ita fiet vt per imitationem Christi quâ hominis, imitemur etiam ipsum DEVM: nam sicut DEVS se ipsum perfectissimè cognoscit, se ipsū perfectissimè amat, propter se ipsum omnia perfectissimè operatur, omnes imperfectiones, inordinationes, iniquitates odit; ita & nos attendentes Christi actionibus, doctrinis & passionibus; DEVM perfectiùs cognoscemus, ipso oblectabimur, & propter ipsum (nos & cuncta peccata abnegando) omnia quo poterimus meliore modo & feruentiore operabimur, sincere patienter, constanter vsque ad finem. Hæc confidentia

& fami-

& familiaritas ad Christum vnicuique à pueritia, inculcanda est, vt in ipso cum tempore crescat ad salutem æternam.

Qualiter autem quisque præcipuè Sacerdotes in praxi ac re ipsa, debeant esse in animo & erga Christum dispositi, piè pro more suo Blosius ostẽdit in sua instructione spirituali illis verbis: tu præclarus vestitor siderum, nudus, contemptus, vulneratus, & immensis doloribus afflictus pro me pependisti in cruce, pro me fudisti purissimũ sanguinem tuum, pro me mortuus es. Amplector vlnis animæ meæ venerandam crucem tuam, & eam pro tui honore atque amore osculor. Præsta vt ad te pleno desiderio semper aspirem, & in te dulcissimè respirem. Ecce Domine ecce cõstituo me in infimo loco, infra omnem creaturam, quia indignus sum quem terra sustineat, substerno & subiicio me omnibus hominibus. Complector, complector omnes sicut possum sincero amore. Relinquo propter te omnia caduca (dum sunt cum offensa tua) Respuo quidquid tu non vis. Renuntio omni delectationi sensuali. Renuntio omni vanitati & impuritati, renuntio omni propriæ quæsitioni & immortificationi. Resigno, resigno me tibi funditus. Omnem voluntatem meã in tuam transfundo. Fiat Domine fiat voluntas tua in me & de me, fiat voluntas tua in tempore atque æternitate. Offero me paratũ ad perferendum cum auxilio gratiæ tuæ quidquid tibi placuerit. Hoc modo amabit suum Saluatorem, si quæ coram ipso protestatur corde & ore, eadem opere exe-

re exequi conabitur effugiatque illam S. Pauli 1. Cor. 16. 22. maledictionem dicentis. *Qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit anathema Maran Acha.* Clariora media possunt facilè Confessarii ex locis S. Scripturæ, quæ passim voluunt in Missalibus, & Sacris Breuiariis (sic vocatis quia in se breui compendio continent credenda, sperãda, diligenda, & faciẽda) pro se & aliis desumere.

De hoc amore Christi sunt verba D. Virginis ad B. Brigittam lib. 4. Reuel. Cap. 32. Nullus est talis ac tantus peccator in mundo, qui dicit corde, quod filius meus Creator & Redemptor omnium est sibi amicissimus in corde & intimus; quin non statim parata sum venire ad eum sicut mater charitatis ad filium &c. qui etsi promeruisset profundissimam inferni pænam, haberet tamẽ nihil curare de honoribus mundi, nec de cupiditate & voluptate carnis, quam detestatur Ecclesia nihilque desideraret nisi solam sustentationem suam; tunc ipse, & ego; statim essemus bene concordes. Ex his collige ad quem finem quisque debeat in hac vita omnes suas cogitationes, studia, desideria, labores siue spirituales, siue corporales, confessiones, &c. dirigere, nimirum vt tanquam verus Christianus exemplo & ope Christi, per seriam fugam vitiorum, & exercitium virtutum, præcipuè amoris Dei; optimè sit dispositus erga ipsum Devm, resque Diuinas, & erga proximos respectu Dei, ac in seipso maneat bene ordinatus; vt hoc modo existens Deo fidelis vsq; ad mortem, accipiat coronam vitæ, vbi in amore perfectissimo Deo in æternum perfruatur.

DECRETA
SANCTISS. IN CHRISTO PATRIS AC D. N. D.
ALEXANDRI PAPÆ VII.
In Cõgregationibus Generalibus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis habitis.

Feria V. die 24. Septembris. 1665.

In Congregatione Generali Sancta Romana & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro *Diuina Prouidentia* Papa VII. *ac Eminentißimis & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.*

SANCTISSIMVS D. N. audiuit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim nouiter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies

magis

magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Euangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens erreptura esset Christianæ vitæ corruptela; Quare, ne vllo vnquam tempore viam salutis, quam suprema veritas DEVS, cuius verba in æternum permanent, arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seu verius peruerti contingeret, idem Sanctissimus D. N. vt oues sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataq; per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectã semitam euocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulo incumbentes, & maturè discussis, vsque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super vnaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

1. Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum Diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cænæ solum

prohi-

prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, visa & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscunq; sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamuis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus euadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est; Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

9. Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10. Non

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa seu obl.-ta ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pænitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pænitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem, grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè & coram grauissimis viris prædicta impingere nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quòd sit pœna.

21. Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam, Beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subiicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, nō explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sentētia in fauorem vnius præ alio 27. Si liber sit alicuius iunioris & moderni, debet opinio censeri probabilis dum non constet, reiectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenderetur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit & decreuit, prædictas propositiones & vnamquamque ipsarum, vt minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita vt quicumque illas aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè publicè aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis dignitatis ac status, etiam speciali & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioan-

Ioannes Lupus, Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. Alexandri, Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Carolum Melanum, eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

FERIA QVINTA
DIE DECIMA OCTAVA
Martij Anno 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolicò Montis Quirinalis coram Sanctis. D. N. D. Alexandro *Diuina Prouidentia* Papa VII *ac Eminentissimis, & Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTISSIMVS D. N. post latum decretum die xxjv. Septembris proximè elapso, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt; examinatis sedulo & accuratè vsque ad hanc diem infrascri-

ptis alijs quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reuerendissimos DD. Cardinales aduersus hæreticam prauitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super vnaquaque ipsarum audiuit.

Propositio 29. In die Ieiunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vt cumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnius diei conficiant.

32. Non est euidens, quod consuetudo nō comedendi oua & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Elèémosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ

vti

vti priuilegijs suis, quæ sunt expresse reuocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ regularibus & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39 Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo *regalo*, dùm deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43. Annum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur pos-

ſunt retineri, vſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimum, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet: Ita vt quicunque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè publicè aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſsit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatûs, etiam ſpeciali, & ſpecialiſsimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus, Sanctæ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis Notar.

Locus ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò 23. menſis Martij, Pontificatus autem Sanct. ſſ. in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. *anno vndecimo,*

cimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

FERIA QVINTA.

DIE II. MARTII. Anno 1679.

In Generali Congregatione S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. INNOCENTIO diuina Prouidentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. Innocentius Papa XI. prædictus ouium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxijs a fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diuersis, vel libris, vel thesibus seu scriptis excerptas, & partim nouiter adinuentas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis & Reueren-

nerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus inquisitoribus subiecit. Quibus propositionibus sedulo, & accuratè sæpius discussis eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata statuit & decreuit pro nunc sequentes propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso nõ expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca quantumuis tenui, modo quid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis nõ credens ductus opinione minus probabili.

5. An

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugij ob solam voluptatem excitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eléèmosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirũ ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingẽtes diuitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptũ ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt ; actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili reuelationis ; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides vnius Dei neceſſaria videtúr neceſsitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimiliuè motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſsit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum,

dum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conseruatione vnius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quãdiu in vtero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod oblatum est per pauca fur-

ca fur-

ca furta; quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est. Etiam respectu eiusdem personæ, cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42. Vsura non est dum vltra sortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando

tempo-

temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles, ipsi iudicauerint ad Ecclesias promouent, Cōcilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparatiuo propositiuo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos; non verò dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam inuoluere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, vt contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuuat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subseruit deferendo scalam aperiendo ianuam, aut quid simile

ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti puta ne à domino male tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

51. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam domini manducationem.

56. Frequens Confeſsio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57 Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo, honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59. Licet ſacramentaliter abſoluere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proficiat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Po-

61. Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta nō fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

65. Sufficit illi ſemel Myſteria crediddiſſe.

Quicūque autem cuiuſuis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuiſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumq; etiā dignitate fulgēte, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumq; conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alij quicumque imposterum se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conuiciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controuertũtur, donec à S. Sede recognitæ super ijsdem propositionibus iudicium proferatur.

Franciscus Ricchardus Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI Millesimo, Sexcentesimo Septuagesimo nono. Indictione secunda, die verò 4. mensis Martij. Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Innocentij diuina Prouidentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis vrbis per me Franciscum Petinum eiusdem Sanctiss. D. N. & Sanctissimæ inquisitionis cursorem.

Bulla Cœnæ Domini.

Literæ Processus S. D. N. PAVLI PAPÆ V. lectæ in die Cœnæ Domini. Anno M. DC. VIII.

PROOEMIVM.

PAULUS *Episcopus Seruus Seruorum* DEI. *Ad futuram rei memoriam. Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cùm in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur; tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atq; integritate retinenda; & conseruanda, maximè elucet; nimirum, vt fideles Christi non sint parochi fluctuantes, neq; circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum ad circumuentionem erroris, sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque se in huius vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potiùs in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub Christi capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice* Beatis-

Beatißimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atq; ita Diuina gratia adiuctrice, sic præsentis vitæ quiete gaudenut, vt futura quoque Beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas, Romani Pontifices prædecessores Nostri, hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solennis est; spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma, per ministerium summi Apostolatûs, ad Dei gloriam, & animarum salutem, solenniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore, tueri vetustum, & solennem hunc morem sequentes.

CANON I.

EXcommunicamus, & anathematizamus ex parte DEI Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscunque Hussitas, Wicleffistas, Luteranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorum libros, hæresim continentes, vel de Re-

ligione tractantes, sine auctoritate Nostra, & Sedis Apostolicæ. Scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè, vel occulte, quouis ingenio, vel colore. Nec non Schismaticos, & eos qui se à Nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedant.

CANON II.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, cuiuscunque statûs, gradûs, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis Nostris, ac Romanorum Pontificum, pro tempore existentium, ad vniuersale futurũ Concilium appellantes; nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

CANON III.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, Piratas, Cursorios, & latiunculos maritimos, discurrentes mare Nostrum, præcipuè à Monte Argentano, vsque ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

CANON IV.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos qui Christianorum quorũcunque nauibus, tempestate, seu in transuersum, vt dici solet, iactatis, vel quomodocunque nau-

fragi-

fragium passis, siue in ipsis, nauibus, siue ex ijsdẽ eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in Nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuscunque maris regionibus, & littoribus, surripuerint, ità vt nec ob quodcunque priuilegium, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

CANON V.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

CANON VI.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut mandato eiusdem Rom. Pont. signatarum: necnon falsò fabricantes Literas Apostolicas, etiam in forma Breuis: & etiam falsò signantes Supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

CANON VII.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreti-

reticos, per Noſtras, ſiue huius Sanctæ Sedis ſententias, expreſſè, vel nominatim declaratos, deferunt, vel transmittunt, equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniumq; alia metallorum genera, atq; bellica inſtrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipſa cannabe, quàm alia quâcunque materiâ, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per ſe, vel alios, de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant; non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, quibuſuis perſonis, Principibus Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de huiuſmodi prohibitione expreſsam mentionem non facientibus.

CANON VIII.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt: ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant; ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios, cuiuſcunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatûs: etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut aliâ quâcunq; Eccleſiaſticâ, vel mundanâ præfulgeant dignitate.

CANON IX.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel à Nostris Iudicibus, non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes, in eadem Curia audent perpetrare.

CANON X.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos, ad Vrbem causâ deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes: & his dantes auxilium, consilium, & fauorem.

CANON XI.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominijs eijcientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, vel præstantes auxilium, consilium, vel fauorem.

CANON XII.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alias personas

Ecclesiasticas quascunque, vel seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices, super dictis causis, & negotijs deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt; seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant: seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cujuscunque præeminentiæ, vel dignitatis fuerint.

CANON XIII.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quàm seculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam aliquam appellationem à grauamine, vel futura executione Literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium; nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntijs, Præsidentibus, Palatij Nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissarijs, & alijs Iudicibus, & Delegatis Apostolicis, emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem, recurrunt, & ab ea instante Fisci procuratore, vel Aduocato, appellationes

lationes huiuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retinere faciunt. Quiue illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari; aut ne tabelliones, aut Notarij, ſuper huiusmodi Literarum, & proceſsuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines familiares, notarios, executores, ſubſecutores, literarum, citationum, monitoriorum, & aliorũ prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eijciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè: Quiq; alias quibuſeunq; perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibusuis eorum negotijs proſequendis, ſeu gratijs, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas vel literas à dicta Sede impetrent, vel impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

CANON XIV.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum

Apostolicarum prætextu, beneficiales, decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis, auocant, illarumq; cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas pias prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quiue partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias literas, in eis decretas; & ad faciendum, vel consentiendū eos, contra quos tales inhibitiones emanârunt à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem Literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ. vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij, quorumcunq; Principum Secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut aliâ quâcunq; præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

CA-

CANON XV.

QVive ex prætenſo eorum officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunq; perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia Eccleſiarum quarumcunque, ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariā, Conſilium, vel Parlamentum, præter iuris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore. Necnon qui Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quæuis alia Decreta, in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, aut alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu Noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcunq; Eccleſiarum iuribus quomodolibet, directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſſè præiudicatur.

CANON XVI.

NEcnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunq; Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtando, eorum, agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos, & affines impediunt, quominus ſuâ iuriſdictione Eccleſiaſticâ contra quoſcunq; citantur ſecundùm quod Canones, & Sacræ Con-

ſtitu-

ſtitutiones Eccleſiaſticæ, & Decreta Conciliorũ generalium, & præſertim Tridentini ſtatuunt: ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunq; ſententias, & decreta, aut alias fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pænalia Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant. Eos quoq; qui hæc decernunt, & exequũtur ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & fauorem in eiſdem.

CANON XVII.

QVi iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & prouentus, ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunq; Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vſurpant; vel etiam quâuis occaſione, vel cauſâ ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentiũ, expreſsâ licentiâ ſequeſtrant.

CANON XVIII.

QVi collectas Decimas, Taleas, Præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumq; fructibus, reditibus & prouentibus huiuſmodi, abſq; Romani Pontificis ſpeciali, & expreſsâ licentiâ, imponunt; & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus

tibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios, directè vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali, præfulgeant dignitate: seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus, quicunq; etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quâuis etiam Pontificali dignitate insigniti: Innouantes Decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

CANON XIX.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq; Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa, huius sanctæ Sedis Apostolicæ, licentia: quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

CA-

CANON XX.

ITem excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios, directè, vel indirectè, ſub quocunq; titulo vel colore, inuadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venuſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſsæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq; terras, & loca: ac terras ſpecialis Commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras, Bononiam, Ceſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auenionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferariam, Comadum, & alias Ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæq; Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiecta, necnon ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem defacto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

§ I.

VOlentes præſentes Noſtros Proceſsus, ac omnia, & quæcunque his Literis contenta, quouſq; alij huiuſmodi Proceſſus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant,

aut publicentur, durare, suoſque effectus omnino ſortiri.

§ II.

CÆterùm à prædictis ſententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo, cautione præſtitâ, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Epiſcopali, vel maiori dignitate præditis, ipſisq; Ordinibus, & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & Locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij Decreta, verbo, literis, aut alia quacunq; ſcriptura, in genere, & in ſpecie conceſsorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

§ III.

QVodſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus, excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere defacto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententiâ innodamus, grauiùs contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſsuri.

Decla-

§ IV.

DEclarantes, ac protestantes, quamcunque absolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis cum vero proposito vlteriùs similia non committendi, destiterint: ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publice reuocauerint, & ex Archiuis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam Nostram, vel successorum nostrorum, quantocunq; tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunq; juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. vndecunq; & quandocunq; quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, aut debere.

§ V.

NOn obstantibus Priuilegijs, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cuiuscunq; Ordinis, Statûs, vel conditionis, dignitatis, præeminentiæ fuerint, etiamsi vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quâuis Ecclesiasticâ, & mundanâ præfulgeant dignitate.

gnitate; vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus seu locis, à prædicta Sede ex quauis causa, etiam per viam contractûs, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non posint per literas Apostolicas. non facientes plenam, & expressam, de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus, quantumcunq; longissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs in scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos Nostros Processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se iuuare valeant, & tueri.

§ VI.

QVæ omnia quoad eorum omnium tenores, acsi ad verbum nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

§ VII.

VT verò præsentes Nostri Processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas, Processus ipsos continentes Valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos Processus huiusmodi

concernunt, quoad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper vt Proceſſus ipſi, & præſentes Literæ, & ſingula in eis contenta eò fiant notiora, quò in pleriſque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuerſis, & ſingulis, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinarijs, & Prælatis, vbilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſijs ſuis dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit, ſolenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§ VIII.

CÆterum Patriarchæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque Locorum Ordinarij, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac Preſbyteri ſeculares, & quorumuis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum Confeſſiones quâuis authoritate deputati, tranſumptum Literarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant, Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ,